



Ph. Melanchton Instructio visitationis Saxonicæ Wittenberg 1539









coll. compl. fo

8°. (62) lf. (without 2 final blanks)
title-border; initials

Benzing 2502

Geisenhof. Bugenhagen 298
Not in Knaak., Kn., Jackson.

148. (LUT
nicae, ad
Translata
propter E
sum excus
Joseph Kl
ed) on ti
two final
* Benzin
Rare seco
Churches
'Unterric
book is e
1482-1550
the name



[Luther]

148. (LUTHER, Martin, editor), Instructio Visitationis Saxonicae, ad Ecclesiarum Pastores, de doctrina Christiana, Translata a Doctore Pomerano (Johann Bugenhagen) in latinum, propter Ecclesias Danicas Anno domini M.D.XXXVIII. Nunc rursum excusa Vitebergae M.D.XXXIX. (Impressum:) Wittenberg, Joseph Klug, 1539. With woodcut border (lateral margin cropped) on title. Mod.boards, sm.8vo. 62 unnumb. ll. (without the two final blanks)(waterstained but sound). ƒ 900.-(~~$ 300.-~~)

* Benzing 2502. W.A. 26.191.

Rare second Latin translation, made for the use of the Danish Churches by Johann Bugenhagen Pomeranus (1485-1558), of the 'Unterricht der Visitatoren an die Pfarrherrn' (1528). The book is extensively described by Nielsen, Dansk Bibliografi 1482-1550 no. 170, but entered by this bibliographer under the name of Melanchthon. Bruun II,226. - Geisenhof 298.


coll. compl. fo

8°. (62) ll. (without 2 final blanks)
title-border; initials


Benzing 2502


Geisenhof. Bugenhagen 298

Not in Kuez., Kn., Jackson



[Luther]





INSTRVCTIO VISITATIONIS

Saxonicæ, ad Ecclesiarum Pastores, de doctrina Christiana, Translata a Doctore Pomerano in latinum, propter Ecclesias Danicas Anno domini.

M. D. XXXVIII.

Nunc rursum excusa Vitebergæ. M. D. XXXIX.






BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

VENERANDIS VIRIS & dominis Ecclesiarum Danicarum, Super Intendentibus, dominis suis ac fratribus in Christo dilectis, Ioannes Bugenhagius Pomeranus Doctor, Gratiam Dei, & Pacem per Iesum Christum dominum nostrum.



OSTquam Regia Maiestas, inter cæteros libros, etiam hunc Visitatorum Saxoniæ, omnib. Danicarũ Ecclesiarum pastoribus commendauit, Veritus ego ne multi ignorarent quis vel esset hic liber, quod Germanice æditus nuper a Doctore Luthero emendatus, a nullo quod sciam in latinum translatus est, transtuli eum quemadmodum

videtis. Vestrum igitur fuerit, quos Deus in officio veros ordinauit Ecclesiarum Episcopos, curare per bonos pastores & per eruditas Scholas, vt cum alijs artibus hæc sancta Doctrina ad posteros propagetur. A præfatione autem abstineo, quia Pater Lutherus hic satis præfatus est. Christus sit vobiscum & cum Ecclesijs vestris in æternum. Scripsi ex Copenhagen siue Copmanhauen · Anno domini

M. D. XXXVIII.

feria tertia post Aegidij.



INSTRVCTIO VISITATIONIS SAXONICÆ

INSTRVCTIO VISITA-
tionis Saxonicæ, ad Eccleſiarum Pa-
ſtores. de doctrina Chriſtiana. Trans-
lata a Doctore Pomerano in
latinum propte Eccleſi-
as Danicas. Anno do-
mini M. D.
xxxviij.

D. Martinus Luthe-
rus.



Ibellum Viſitationis rurſus edo in publicum, Abſtuli & mutaui quędam, quæ antea neceſſaria erant vt permitterentur fide imbecillioribus, nunc vero neq; ſunt neq; eſſe debent, maxime in hoc principatu Saxonico & alijs nobis vicinioribus, quando Verbum Dei tanta claritate & efficacia lucet vt nullus ſe

cuſare poſſit. Non moramur quid Satan cum ſuis contra hæc mentiturus & calumniaturus ſit, Deo & ipſius Eccleſiæ per hæc ſeruimus, hoc ſatis nobis eſt, & gratias agimus domino Deo, qui nos ad hoc miniſterium vocauit & idoneos fecit.

ros,
ui teſ
Petru
ix. &
lingu
xv.
ſtoli
omn
tit ep
ipſe,
quan

quid
ntitu.
ipsis
oc sa.
i.

PREAFATIO DOctoris Martini Lutheri.



Vam diuinum & salutare opus sit, visitare Pastores & Christianas Ecclesias, per doctos, & intelligentes viros, testatur scriptura & veteris & noui testamenti. Legimus einm quod Petrus perambulauit in Iudea. Act. ix. & Paulus cum Barnaba rediit ad singula loca vbi predicauerat. Acto. xv. Et testificatur in omnibus suis epistolis, quemadmodum solicitus sit pro omnibus Ecclesiis & pastoribus, Mittit epistolas, mittit discipulos, currit & ipse,; Sicut & Apostoli. Actorum viij quando audierũt Samariam suscepisse

verbum, miſerunt illo Petrum & Io‑
annem, Et in veteri teſtamento etiam
legimus Samuelem egredi nunc in
Gilgal, nunc in Rama, nunc in Nobe
&c. non voluptate expatiandi ſed cha
ritate & debito ſui officij & populi ne
ceſſitate. Quemadmodum fece‑
runt etiam Elias & Eliſeus, vt in libris
Regum legimus. Id quod & Chriſtus
pre alijs operibus diligentiſſime fecit, ita
vt propter hoc ne vnum quidem lo‑
cum proprium ſibi retinuerit in terra,
quo vel caput reclinaret. Atq; hoc ip‑
ſum vel in vtero matris incepit abi‑
ens in montana cum pregnante virgi‑
ne matre vt ſanctum Ioannem viſita‑
ret.

Quæ Exempla etiam ſancti Epi
ſcopi olim & patres diligentiſſime imi‑
tati ſunt, quemadmodum inueniun‑
tur multa de his ſcripta in Papalibus
decretis. Ex hoc enim opere primum
nati ſunt Epiſcopi & Archiepiſcopi,
quibus vel pauciores vel plures ad viſi
tandum comendabantur. Proprie
enim

enim Epiſcopus ex græco ſignificat Superintendentem aut Viſitatorem, et Archiepiſcopus, qui conſtituitur ſuper tales Superintendentes & Viſitatores, propterea, quod quiſq; Paſtor ſiue Epiſcopus ſuos Parochianos viſitare & curare debet, & attendere quemadmodum illic doceatur & viuatur. Et Archiepiſcopus tales Epiſcopos viſitare & curare debet, & attendere quemadmodum illi doceant. Quæ officia aliquadiu fuerũt in Eccleſia Chriſti, donec iam mutata ſint in pompam mundanam & dominia glorioſa.

Poſtquam enim Epiſcopi ſunt principes & domini facti, Primum hæc officia viſitationis alicui Prepoſito, vicario aut Decano mundarunt, Poſtea cum etiam Prępoſiti, Decani & Canonici, nihil aliud fierent quam ocioſi domini, mandabantur hæc Officialibus, qui hactenus vexauerunt homines ſuis citationibus propter cauſſas pecuniarias, & neminem viſitauerunt.

Tandem quando ſic, vt dictum eſt, omnia peſſime iacebant, ſancti illi

Officiales suam quietem domi amãtes nusquam pro Ecclesia exierunt, sed emiserunt malignum aliquem nebulonem & in pagis & in ciuitatibus circum cursitantem, qui quæ ex maleuolorum aut detractorum ore de viris & mulieribus in tabernis inter pocula audire potuit, prodidit suo Officiali, is vt deglubitor pro suo officio deglubebat eos & detrahebat eis peccuniam etiam innocentibus, quos & in periculum rerum & bonæ famæ sæpe adduxit, vnde homicidia & alia mala exoriebantur. Hinc hactenus mansit nomen Sancta Synodus.

Breuiter, hoc preciosum & nobile opus penitus iam interijt & nihil inde relictum est, nisi quod homines citati et excommunicati sunt, propter debita & temporalia bona, aut quod inde fecerunt Diuinum vt vocant ordinem, Antiphonas quasdam & versiculos vlulantes in templis, quemadmodum autem docendum sit, credendum, diligendum, Christianę viuendum, pro pauperibus curandum, quomodo imbecilliores

becilliores fide conſolandi ſint, con-
temptores arguendi, & reliqua curan-
da quæ ad hoc officium pertineut ne
meminerunt quidem in talibus ſyno-
dis, Nihil aliud quam vani prælati &
glorioſi ganeones facti ſunt, aliorum
bona abſumentes & nihil eis redden-
tes niſi mera damna, Atq; ita hoc offi-
cium, quemadmodum & omnes aliæ
ſanctæ, Chriſtianæ & veteres doctrine
& ordinationes, factum eſt diaboli &
Antichriſti ludibrium & iocularis lu-
dus, horrenda & terribilis perditio ani-
marum.

Quis enim recenſere poterit quam vtile & quam neceſſarium ſit hoc officium in Chriſti Eccleſia? In damnis hoc videre licet, quæ acciderũt poſtquam illud deſijt & retento nomine res ipſa in ceremonialem fucum mutata eſt vt pleraq; alia. Nulla doctrina aut hominum conditio in mininiſterijs a Deo inſtitutis vera, integra & pura permanſit, ſed pro diuinis & verbo Dei conſecratis officijs, ſurrexernnt tam multæ &

horrendæ

horrendæ Sectæ. Vt canonicatus, Monachatus &c, per quę vera Christi Ecclesia penitus suppressa fuit, fides extincta, charitas mutata in contentiones & bella, Euangelium obscuratũ & pro hoc tantummodo hominum opera, doctrinæ, & somnia regnauerunt. Facile hic fuit diabolo facere quæ voluit suis dæmoniorum doctrinis, postquam tale officium sibi subegerat, & meraslaruas quasi spiritualium hominum & Monachales vitulos erexerat, vt nemo possit ipsi resistere. Quando autem hoc sanctissimun officium, vbi recte & diligentissime curatur, summum laborem & diligentiam requirit, quemadmodum & Paulus conqueritur, scribens Tessalonicensibus, Corinthijs & Galatis, vt etiam Christi Apostoli in hoc sudarint, quid efficerent, ociosi homines & ventres pigri?

Igitur postquam nunc per ineffabilem dei gratiam & misericordiam Euangelium redijt aut vel primum exortum

exortum eſt nobis, per quod iam vide
mus quam miſere irretita erroribus,
diſperſa & lacerata ſit Eccleſia, cupie-
bamus ex animo hoc ipſum, vere E-
piſcopale viſitandi Officium, vt ſum-
me neceſſarium, videre reſtitutum.
Verum quando nemo ex nobis adhuc
vocatus erat ad tale officium aut cer-
tum habebat mandatum, & ſanctus
Petrus nihil vult geri in Chriſti Eccle-
ſia niſi certi ſimus hoc ipſum eſſe opus
Dei, nemo præ cæteris audebat hanc
rem tentare. Hic quod tutiſſimum
erat innixi ſumus officio charitatis,
quod omnibus Chriſtianis commune
eſt & a Deo mandatum, & ſuppliciter
poſtulauimus ab Illuſtriſſimo Princi-
pe & domino domino Ioanne Saxo-
num Duce, Sacri Imperatorij Roma
ni Archimarſchalco & Electore, Du-
ringiæ Landgrauio, Miſniæ Marg-
grauio &c. Domino noſtro clemen-
tiſſimo, nempe harum terrarum prin
cipe & noſtra indubitata Poteſtate a
Deo ordinata, Vt ipſe (quando non
eſt debitor ex poteſtate ſęculari) ex
Chriſtiana

Christiana charitate, propter Deum, ad profectum Euangelij, & ad commodum & salutem miserorum Christianorum qui sunt in ipsius terris, dignaretur clæmenter quosdam idoneos viros ad tale officium vocare & ordinare. Id quod eius clementia ita fecit & ordinauit per Dei bonam erga nos voluntatem, commendans hoc officium quatuor egregijs viris, nempe Strenuo domino Ioanni Nobili a Plannitz equiti aurato &c. Insigni viro & domino Hieronymo Schurff Iurium Doctori &c. Strenuo domino Erasmo ab Haubiz &c. & Eruditissimo Domino Philippo Melanchtoni Magistro &c. Det Deus vt hoc sit salutare Exemplum omnibus alijs Germaniæ principibus, vt fœliciter & cum fructu imitentur, pro quo etiam ipse Christus in nouissimo die amplissimam reddet mercedem Amen.

Quando vero diabolus per venenata ora sua & labia detrahentia nullum diuinum opus sinit suis calumnijs

&

& blaſphemijs inconſpurcatum , &
iam iam per noſtros aduerſarios in hoc
libello multa calumniatur & damnat,
ita vt quidam etiam glorientur nos pæ
nitere noſtræ doctrinæ, retroceſſiſſe
ac quædam recantaſſe, & vtinam ſeri-
o dicerent & ſentirent illa ſibi placere
quæ recantata dicunt, tum enim cer-
to plus nobis accederent quam nos il-
lis, ad confirmandam noſtram doctri-
nam , & recantarent ſuos errores.
Iccirco ego ſtatui omnia quę egerunt
Viſitatores, & ſcripta miſerunt Cle-
mentiſs. Principi noſtro, & inde ea-
dem in manus meas fideliter collecta
peruenerunt, publice per typographi
am in lucem ędere , vt quiſq; videat
nos neq; in angulis neq; in tenebris age
re negotium Chriſti, ſed lucem & quę
rere & ſuſtinere cum gaudio & ſan-
cta fiducia. Quamuis autem hæc
non poſſumus ędere vt mandata quę
cogant homines , ne Nouas &
Papiſticas Decretales erigamus, ſed
potius vt hiſtoriam ac præterea
vt teſtimonium & confeſſionem
noſtræ

nostræ fidei, tamen speramus, quod omnes pij & pacis amantes Ecclesiarum Pastores, quibus serio placet Euangelium, & gaudent concorditer & similiter nobis omnia seruare, quemadmodum Paulus monet vt faciamus Philip. ij. amabunt minimeq; per ingratitudinem & superbiam contemnent hanc diligentiam clementissimi, Principis nostri, preterea & nostram charitatem ac beneuolentiam, quin potius sponte & sine coactione, id quod veræ charitatis est, subdent sese huic visitationi, & nobiscum secundum hanc in pace agent, donec Deus spiritus sanctus per ipsos aut per nos meliora ordinet.

Si autem aliqui ex pastoribus temere huic Christianę ordinationi restiterint, & nulla iusta causa specialem sibi facere tentauerint (inueniuntur enim stulta capita & contemptores qui ex mera malicia non possunt aliquid commune & aliorum factis simile ferre, sed & corde & vita sunt alijs dissi-

dissimiles, suæ prudentiæ, id est, manifestæ stultitiæ innitentes (Sustinebimus vt illi sese separent a nobis tanquam paleam ab area, ita tamen vt propter illos non deseramus nostros, quanquam & in hac re non committemus, vt non queramus Clementiss. Principis nostri & consilium & auxilium. Nam licet Ipsi non est mandatum vt doceat & spiritualia gubernet, tamen debet vt secularis Potestas, summe curare & agere ne dissidia, sectæ, & seditiones exoriantur in subditis. Quemadmodum & Constantinus Cæsar Episcopos vocauit Niceam, quando neque voluit neque debuit sustinere dissensionem quam excitauerat Arrius in Imperio inter Christianos, & exhortatus est & adegit eos ad sanam ac concordem doctrinam & fidem.

Deus autem Pater misericordiarum, det nobis per Iesum Christum dilectum filium suum, Spiritum concordiæ & fortitudinis, vt faciamus eius voluntatem. Nam quantumuis sum-

me concordes fuerimus, tamen maximum erit nobis negotium vt bona faciamus. & perstemus in potentia Dei, quid ergo futurum esset, si inter nos discordes & dissimiles fuerimus? Diabolus per tot tempora hactenus neq bonus, neq sanctus factus est, neq fiet inæternum. Ideo vigilemus & studeamus spirituali vnitati, vt Paulus
docet, vt contineamus nos
in vinculo charitatis
& pacis A-
men.

De
De
De
De
De
De
De
De
De
DeE
DeM
DeL
DeL
DeT
Deq
Dev
Deor
DeSc

INDEX HVIVS INstructionis.

Oc deesse quibusdam deprehendimus, quod docent quidem de fide qua iustificamur, sed non satis explicant qui ad eam fidem perueniatur. Et hi fere omnes alteram partem doctrinæ Christianæ predicando omittunt, sine qua nemo intelligere potest quid fides sit. Nam Christus dicit Lucę vltimo, In nomine ipsius predicari oportere pœnitentiam & remissionem peccatorum.

At nunc multi tantum dicunt de Remissione peccatorum, nihil vero aut parum de Pænitentia, cum tamen absq; pœnitentia non sit remissio peccatorum, neq; possit sine pœnitentia intelligi

intelligi

intelligi remiſſio peccatorum, quæ ſi doceatur ſine pænitentia, putant homines ſe accepiſſe remiſſionem peccatorum & fiunt ſecuri abſq; timore. Id quod eſt maior error quam antehac omnes alij errores, vt metuendum ſit, quemadmodum Chriſtus dicit Matth. xij. ne nouiſſima fiant peiora prioribus.

Iccirco docuimus & exhortati ſumus Paſtores, vt quemadmodum debent, integrum predicent Euangelium, non alteram eius partem ſine altera, iubet enim Deus Deutero. iiij. Verbo ſuo neq; addendum neq; detrahendum. Noſtri prędicatores accuſant Papam quod multa addidit verbo Dei, id quod nimium verum eſt. At qui non prędicant pænitentiam, magnā partem auferunt a verbo Dei, & interin dicunt de edendis carnibus & ſimilibus quę minora ſunt, quæ tamen ipſa ſuo tempore non ſunt tacenda, vt contra tyrannos defendamus Chriſtianam libertatem. Hoc autem quæſo

quid aliud est , quam vt Christus ait Matth. xxiij. collare culicem, & gutire camelum.

Admonuimus itaq; eos vt diligenter & sæpe adhortentur homines ad pœnitenitiam, displicentiam, dolorem siue vt vocamus contritionem de peccatis, vt pudefiant & terreantur coram iudicio Dei. Maxime vero non negligendam sibi sciant prędicatores illam maxime necessariam partem verę pœnitentię qua hypocrisis damnatur. Nam & Ioannes & Christus grauius increpant Phariseos propter sanctam Hypocrisim, quam vulgares peccatores. Sic etiam prędicatores crassa vulgi peccata reprehendant. Et vbi falsa sanctitas est illic durius multo ad pœnitentiam exhortentur.

Nam quamuis quidam existiment nihil esse docendum ante fidem, sed pœnitentiam ex fide sequentem, ne aduetsarij dicant nos priorem doctinam recantasse, tamen hoc intuen-

dum

dum est quando pœnitentia & Lex pertinent ad generalem fidem(necesse est enim ante credere quod Deus est qui comminatur,mãdat,terret &c)pro vulgo & rudibus prodesse,vt sinamus tales huius fidei partes manere sub hisce nominibus, Pœnitentia,Præcepta, Lex, Timor &c. vt ita certius intelligant fidem illam in Christum, quam appellant Apostoli fidem iustificantem, id est, quę iustos nos facit & peccata delet, id quod fides de præceptis & pœnitentia licet non facit, tamen interim rudis quisq; errat in vocabulo fides,& suscitat quęstiones nulla vtilitate.

DE DECEM PRAECEPTIS De fide & bonis operibus.

IGItur ipsi sæpe ac diligenter prædicent decem Præcepta & interpretentur, addendo quemadmodum Deus punire velit ea non seruantes, id quod sæpe ! fecit temporali

etiam pæna. Talia enim exempla scripta sunt, vt hominibus ostendantur per predicationem, quemadmodum angeli Gene. xviij dixerunt Abrahæ de perditione Sodomorum, futurum scientes quod hoc indicaturus esset suis posteris vt discerent timere Deum.

Similiter & quædam specialia vulgi &, aliorum vicia damnent, vt adulterium, ebrietatem, inuidiam, odium, & ostendant quam ista Deus punierit, quo declarauit grauius se puniturum posthanc vitam nisi emendent vitam. Atq; hoc modo admoneantur homines ad timorem Dei, ad pænitentiam, & contritionem contra contemptum & carnalem securitatem. Ideo & Paulus dicit Rom. iij. Per legem venit cognitio peccati, hec autem cognitio peccati nihil aliud est quam vera contritio.

Cum hac doctrina prodest predicare de fide, vt quisquis pænitet &

dolet de suis peccatis, credat sibi remissi peccata non propter nostra merita sed propter Christum. Tum si contritum & territum cor, andiens sibi remitti peccatum propter Christum, inde pacem, consolationem & gaudium concipit, Hæc proprie vocatur fides coram Deo nos iustificans.

Et admoneant populum hanc fidem esse non posse sine seria contritione, & terrore coram Deo existente, vt scriptũ est Psalm.cxi. & in Syrach, Initium sapientiæ est timor domini. Et Esaiæ vlt. Ego respicio ad illum qui est miser & confracto spiritu & qui contremiscit ad verbum meum.

Hæc autem sæpe doceantur, ne homines falso opinentur se habere fidem, cum longe absint ab ea, & declaretur illos solos in fide esse posse qui veram contritionem habent de suis peccatis, Vbi autem contritio non est, fictam & pictam esse fidem. Vera enim fides adducit secum consolatio

nem & gaudium in domino, tale autem gaudium & conſolatio non ſentitur vbi non eſt contritio & terror, quamedmodum ait Chriſtus Matth. xi. Pauperes euangelizantur.

Hæc duo ſunt priores partes Chriſtianæ vitæ, Pœnitentia vel contritio vel dolor & fides, per quam ac cipimus remiſſionem peccatorum & iuſtificamur coram Deo, Vtrumq; in nobis creſcere & augeri debet.

Tertia pars Chriſtianæ vitæ eſt facere bona opera, quæ ſunt Caſtitas, Diligere proximum, eum iuuare, non mentiri, non decipere, non furari, non occidere, non quærere vindictam, non vindicare propria poteſtate &c.

Atq; ideo iam iterum debent prędicari diligenter decem præcepta, in quibus omnia bona opera comprehenduntur.

Quæ vocantur bona opera. non ideo



ideo ſolum quod bona ſunt proximo noſtro, ſed etiam quod Deus ea præcepit, propter quod & Deo placent, Neq; vero placent illi qui bona opera non faciunt, quemadmodum Michę. 6. dicitur. Dictum eſt tibi o homo quid bonum ſit & quid dominus requirat a te, nempe vt ſerues verbum Dei, exerceas charitatem, & ſis humilis coram Deo tuo.

PRIMVM PRAEceptum.



RImum igitur mandatum docet timere Deum quia ibi Deus minatur ſuis contemptoribus. Docet etiam in Deum credere & ei fidere, quia Deus promittit ſe benefacturum diligentibus ipſum, id eſt, qui ſperant omnia bona ex ipſo, quemad

quemadmodum dicitur Esaię lxiiij & i.Corinth. ij. Oculus nunquam vidit, nec aures audiuit, nec ascendit in cor hominis quod pręparauit Deus diligentibus se.

SECVNDVM PRAE ceptum.

SEcundum Pręceptum docet, ne abutamur nomine Dei. Hoc autem est recte vti nomine Dei, Ipsum inuocare in omni necessitate fide cordis, siue ore id fiat siue solo spiritu, quemadmodum pręcipit Psalm. 50. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & tu honorificabis me, & ibidem dicit Deus, hunc esse verum cultum quo ipse colatur, inuocare ipsum & orare vt auxilietur, & simul pro beneficijs eius gratias agere, ait enim. Et tu honorificabis me, Item Sacrificans laudem honorat me, ibi est via vt ostendam ei salutem Dei.

Hic etiam exhortentur Postores

res populum ad orandum, Hæc enim eſt impletio huius pręcepti, orare, id eſt, Deum inuocare vt auxilietur in omni tentatioue, Inſtruantq; homines vt ſciant, quid ſit orare, & quemadmodum orandum ſit.

De Vera ac Chriſtiana Oratione.

PRImum doceant quod Deus pręcepit orare, quemadmodnm ergo grande peccatum eſt occidere, Ita etiam peccatum eſt a Deo nihil petere vel deſiderare, Hoc pręceptum merito nos extimulauerit ad orandum, quando Deus non ſolum benignus eſt vt iuuet orantes, ſed etiam iubet vt oremus Lucæ xviij. & alias ſæpe. Hoc Paſtores admonere populum debent. Si quis Princeps non ſolum daret quæ quiſq; vellet, ſed etiam mandaret vt quod quiſq; ſibi necaſſarium ducit rogaret, illum quis non amaret? quis non rogaret? Quanto Deus plus rogatur tanto libentius impertit. Vt dicitur

Ephe.

Ephe.3. Potens est plus dare quam nos rogamus aut cogitamus, & Esaiæ.65. Antequam clament exaudiam eos.

Secundo quod preterea Deus promisit exauditionem Lucę. 11. Matth. 7, Petite & accipietis, querite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, Item Petite & dabitur vobis, Hisce promissionibus confidamus, nec dubitemus Deum exauditurum preces nostras, quemadmodum Christus ait Marci 11. Dico vobis quidquid in præcibus vestris oratis, credite tantum quod accipietis, & fiet vobis.

Neq́ nos deterreat quod peccatores sumus, Non enim propter merita nostra, sed propter suam promissionem ipse nos exaudit. Sic enim dicitur Michæ vlt. Pręstabis promissionem Iacob, gratiam Abrahæ, quemadmodum olim iurasti patribus nostris.

Veruntamen peccatoris & hypocritæ oratio non exauditur, quem

quem non pœnitet sui peccati & hypocrisis, De talibus enim dictum est in Psalm. Clamant & non est qui saluet, ad dominum sed non respondet eis.

Quos autem pœnitet & credunt Deum remittere peccata propter Christum, non omittant orationem propter prẹterita peccata & hypocrisim, Non enim vult Deus desperationem, sed vult nos credere quod ipse exaudiet & iuuabit nos. Iccirco Pastores docare debent quod ad orationem requiritur fides exauditionis, Iacobi.1, Postulet in fide nihil hæsitans, quia qui dubitat similis est fluctui maris qui a vento impellitur & mouetur non existimet homo ille se quicquam a domino accepturum.

Nec hoc est aliquid orare si quis dicat multa pater noster aut multos psalmos, non expectans aut sperans auxilium Dei, tantum vt compleat numerum precularum, Immo talis homo

homo nullum habet Deum, & fit ei quod Psalm. cxv. dicit. Deus eius habet aures & non audit, hoc est. Ipse fingit sibi Deum qui tamen non audiat.

Tertio quod sit aliquid petendum vel temporale vel æternum, Immo quod quisq; debeat suam Deo proponere necessitatem, Alium premit paupertas. alium morbus. Alium peccata, quosdam infidelitas & alij defectus, Multi quærunt auxilium, alij a Sancto Anthonio, alij a Sancto Sebastiono &c. cum tamen auxilium tantum a Deo quęrendum sit.

Quod si non statim auxilium venit. non tamen propterea cessandũ est ab oratione, vt docemur Lucę xviij quia ita Deus nostram fidem exercet. Si etiam Deus nihil eorum daret quæ postulamus, tamen non est nobis dubitandum de exauditione, sed sciamus alia & meliora illum nobis daturum, quod eius clementię comendandũ est, nec tempus aut modus ei prescribendus.

dus, Mirum quam distulerit dare A-
brahæ & alijs patribus terram promisſ
am, Talibus exemplis abundat scri-
ptura,

TERTIVM PRAE ceptum.

Tertium pręceptum docet san-
ctificare Sabbatum, Quanquam
autem Deus externum Sabbatum
non ita nobis pręceperit atq; Iudæis,
quibus nullũ manuariũ opus facere in
Sabbato licebat, tamen seruamus eti-
am nos quasdam ferias solennes, ita vt
in eis verbum Dei audiatur & disca-
tur, & homines norint certa tempora
conueniendi ad verbum &c.

QVARTVM PRAECE- ptum & de Obedientia erga Magistra tum.

C Qura

QVARtum præceptum docet honorare parentes & eis obedire. Hic diligenter inculcetur rudibus promiſſio Dei, Exod. xx. qui honorat parentes, diu uiuet ſuper terram, id eſt, proſpere ſuccedet ei per totam vitam, & male cedent omnia ijs qui non honorant parentes & non obediunt eis, quemadmodum Cham maledictus eſt a ſuo patre Noe. Gen. 9 maledictus inquit ſit Canaan, & ſit ſeruus ſeruorum inter ſuos fratres, quemadmodum & Abſoloni male accidit qui regno eiecerat patrem ſuũ, tandem enim e quercu pendens horribiliter perijt. 2. Samuelis 18. quemadmodum Iacob maledixit ſuum Ruben, quod fædauerat cubile patris, Gene. 49. Non eris inquit dominus inter fratres &c. Siquidem valde prodeſt docere homines quod omnia bona & fœlicitas a Deo ueniunt, ſimiliter & infauſta, ſed hæc Dei contemptoribus, illa Deum timentibus & mandata eius obſeruantiſſibus, Immo ſi Deus etiam crucem mittit pijs, tamen

iuuat

iuuat eos & consolatur etiam corporaliter, non solum spiritualibus bonis Psalm. 34. Multe tribulationes iustorum, sed ex his omnibus liberabit eos dominus, Et totus Psalmus 37. docet, non indigne ferendũ malum &c. Neq̃, vero paruum delictum est quod homines doctrina non vrgentur vt omnia etiam corporalia bona discant sperare a Deo, in his enim fides exercenda est.

Neq̃ vero necesse est subtiliter disputare de merito, num Deus talia donet propter nostra opera. Satis fue it docere, quod Deus hæc opera exigit, & donat mercedem, propter sum promissionem quam promissit sine merito nostro.

Hoc autem vt doceantur necessarium est, quod Deus remittit nobis peccata sine omni nostro opere tantũ propter Christum, Deus enim ita

inimicus est peccatis, vt nullius creaturæ opus pro eis satisfacere possit, Solum filium Dei pro peccatis oportuit immola

Multi clamant inconsiderate, Bona opera nihil merentur, Melius fuerit vrgere homines ad bona opera, & negligere subtiles disputationes. Nam verum quidem est quod Deus dat bona propter suam promissionem. non propter nostra opera, tamen oportet fieri bona opera que Deus mandauit.

Ideoq; serio rudes sunt instruendi, quam horrende Deus puniat omnigenis malis eos qui non honorant parentes, permittit enim eos ruere in ignominiam, paupertatem, morbos & alia mala.

Hic etiam docendum est quemadmodum parentes debitores sint ad hoc vt erudiant filios suos ad Dei timorem, ad audiendum & discendum

Dei verbum. Sic ait Salomon Pro-
uer. 22. Stulticia colligata est in cor-
de pueri, virga aſpera fugabit eam, Et
Paulus Ephe. 6. Patres ne prouocetis
ad iram liberos veſtros ſed educetis
eos per eruditionem & correptiônem
Domini, Huc pertinet exemplum
Eli. 1. Samuelis 2. quem Deus corripu
it excludens eum & a Sacerdotio & a
vita, quod ſerio non erudierit filios,
Nunquam iuuentus adeo contempſit
omnia atq; nunc, vt videmus quam
pauci audiant aut curent parentum au-
toritatem, Hinc veniunt multæ in
mundum plagæ absq; dubio, vt bella,
ſeditiones & alia mala.

Ad hoc præceptum etiam per-
tinet Seniores honorare, Itẽ honorare
preſbyteros qui ſeruiũt nobis verbo
dei, Sunt enim miniſtri verbi dei, &
nos per ipſos verbum dei habemus, vt
Paulus ſcribit i. Timo. v. Preſbyteri
qui bene præſunt duplici honore digni
ſunt maxime qui laborant in verbo
& doctrina.

Item huc pertinet obedire Magiſtratui, Tria autem dicit Paulus Ro, 13. quæ debemus Magiſtratui. Primum Tributum. Iccirco vectigalia, pecuniam, & laborem corporalem ei pendimus.

Secundum, Timorem, id eſt, ut ſerio Magiſtratum timeamus, ita vt ſi Magiſtratus non poſſit vindicare inobedienditiam noſtram, tamen ſciamus Deum vindicaturum, qui Poteſtatem ordinauit & defendit. Hinc omnes qui vnquam ſeditioſi fuerunt male perierunt, Rom. 13. Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt iudicium ſibi acquirunt, Id quod eitam Salomon dicit Prouer. 24. Fili mi, time Dominum & Regem, & cum ſeditioſis ne commiſcearis, ſubito enim veniet perditio eorum & quis nouit tempus quando vtriq; peribunt?

Prodeſt etiam exempla proponere, quod Deus ſæpe puniuit ſeditioſos, vt Dathan & Abiram Nume. 16.

qui

qui restiterunt Mosi. Terra enim aperiens se uorauit eos cum tabernaculis ipsorum, & cum omnibus hominibus, qui apud Korah erant, & cum omni possessione ipsorum, ita vt descenderent viui in infernum cum omnib. suis bonis, & terra operiret eos, Preterea exiliens ignis uorauit ducentos quinquaginta viros, qui thura adolebant.

Quando Abimelech, vt scribitur Iudicum ix. contra domum defuncti Gideonis egerat, occisis eius filijs lxix. a turri in Thebez per mulierem particula molaris lapidis conijciebatur super caput eius, & turpiter perijt.

Siba, qui auerteret populum Isra el a Dauide, ij. Samu. xx. capite plectitur.

Absolon in patrem seditiosus tandem a quercu pependit, ij. Samuelis xviii.

Zamri uel Simri, qui coniu-

rauit aduersus dominum suum Ella Regem Israel & occidit eum, tantum septem diebus mansit rex. Nam rex Amri obsedit eum in Thirza, vnde cum videret ciuitatem tradendam, ingressus in regiam domum se cum ipsa concremauit iij. re. xvi

Videmus quoq; aperte quod Deus nunquam talem audaciam sinit inultam, Homicidium enim nunquam impune fit, quemadmodum & Christus dicit Matth xxvi, Qui gladium acceperit, gladio peribit, id est, qui propria temeritate sine mandato Magistratus gladium accipit &c. Talia dicta sunt multa in scripturis, que debent populo diligenter inculcari, vt prouer. xvi. Ira regis nuncius est mortis, sapiens autem vir placabit eam Et prouer. xx. Terror regis est vt rugitus leunculi, qui irritat eum peccat in animam suam.

Tertium quod debemus Magistratui, est honor, Quid enim fuerit, opinari nos satisfecisse Magistratui cui

tributum

tributum & laborem corporalem dedimus : Longe meliorem ſeruitutem erga magiſtratum preterea requirit a nobis Deus, nempe Honorem. Primus honor eſt, qnod agnoſcimus magiſtrautm nobis a Deo datum, & quod Daus per hunc nobis multa dat bona, Niſi enim Deus in mundo ius & poteſtatem conſeruaret, diabolus qui homicida eſt, vbiq; omnia homicidijs compleret, ne vſquam tuta eſſet vita noſtra, vxores & liberi,

Deus autem conſeruat Magiſtratum, & dat per eum pacem, corripit temerarios & eos impedit, vt nobis liceat vxorem & liberos tuto nutrire, filios educare in diſciplina, timore & cognitione dei, eſſe tutos in ædibus noſtris, in plateis &c. vt alius alium iuuet, conueniamus & cohabitemus, Hęc ſunt mera cęleſtia dona, quę vult deus a nobis agnoſci, nempe ſua eſſe dona, vultq; a nobis Poteſtatem vt ſuam miniſtram honorari, noſq; Magiſtratui gratos eſſe, propterea quod

Deus per eum nobis talia ingentia dona tribuit.

Igitur, si quis ipsum Deum ita in Magistratu videre posset, is syncere ex animo diligeret Potestatem, & qui attendit, quæ bona per Magistratum habemus, is cogetur summas ei agere gratias. Si scires quenpiam tuum filium a morte eripuisse, nonne ex corde gratias ageres ei? Cur ergo non gratus es Magistratui, qui te, filios tuos & uxorem a quotidiana perditione eripit? Quando enim unquam tuti essemus, si non malis hominibus resisteret, Potestas a Deo ordinata? Ideoq; cum respicis uxorem & liberos, sic cogitato. Hæc sunt dona Dei, quæ licet mihi conseruare per Maiestatem, quantum autem illa Dei dona amas, tantũ amare debes potestatem, Quando autem uulgus talia bona, nempe pacem, Ius, pœnam maliciosorum, nõ agnoscit, pro concione diligenter tractanda sunt & inculcanda.

Secundus

Secundus honor & ſummus eſt, ſideliter pro Magiſtratu orare, ut Deus ipſi det gratiam & intelligentiam regendi bene & in pace, quemadmodum Paulus dicit. 1. Timoth. ij. Adhortor inquit, ut ante omnia fiant deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus in eminentia conſtitutis, ut placidam & quietam uitam degamus, cum omni pietate & honeſtate, Nam hoc bonum eſt & acceptum coram ſeruatore noſtro Deo. Et Baruch. 1. Orate pro vita Nabugodonoſor regis Babylonis & filij eius Balthaſaris, ut ſint dies eorum, ut dies cœli ſuper terram, & ut det nobis Deus fortitudinem & illuminet oculos noſtros, ut viuamus ſub umbra & protectione regis Nabugodonſor & filij eius Balthaſaris, Quando enim pax diuinum donum eſt, debemus eam a Deo poſtulare.

Dicunt

Dicunt aliqui. Quomodo potest esse magistratus a Deo, quando multi iniurijs & tyrannide ad dominationem peruenerint, vt Iulius, & scriptura nominat Nimrodem venatorē propterea quod rapuit aliena. Gen. x.

Responsio. Quando Paulus Rom. xiji. dicit Potestatem esse a deo non est intelligendum, quod potestas sit talis a deo permissio & plaga, quemadmodum homicidium aut aliud quod sit grande vitium, a Deo iuste permittitur contra nos, Sed potius intelligēdum est, quod Potestas specialis ordinatio & opus Dei est, Sicut sol a deo creatus est, aut sicut coniugium ab ipso institutum est, Sicut vero malitiosus homo non bona voluntate ducit vxorem, ita abutitur quoq; tyrannus bona dei ordinatione, vt Iulius, & Nero ec. Interim tamen ordinatio qua cōseruantur & Iura & Pax, est bona creatura Dei, etiam si persona abutens ordinatione faciat contra leges & pacem.

Simul

Simul tamen debent predicato-
res Poteſtatem fideliter admonere, vt
ſubditos in pace, ſub legibus ſiue iure &
defenſione contineant, Viduas, orpha-
nos protegant, neq; eos per contemp-
tum ut pecora ęſtiment, quemadmodũ
Deus Ieremię mandauit. Iere. vij pre-
dicare toti populo Iuda, adiecta, pro-
miſſione quod habitaturus eſſet apud
ipſos, Paulus etiam Col. iiij. ſic ſcribit,
Vos domini preſtate erga ſeruos quod
iuſtum & ęqum eſt, ſcientes & vos do-
minum habere in cœlis, qui ſuo tempo-
re malos magiſtratus viſitabit

Roboam enim filius Salomonis valde
potens rex grauauit populum ſuum ex
conſilio iuniorum, ſpretis melioribus
conſiliarijs, Poſtulante autem populo
vt remiſſius ageret erga ſe, reſpondit.
Minimus digitus meus craſſior erit vo-
bis quam fęmora patris mei. Pater me
us impoſuit vobis graue iugum, ego
autem illud grauius faciam, Ille cecidit
vos flagellis, ego autem cedam vos
ſcorpionibus, Propter hoc defecerunt
a Roboam

a Roboam siue Rehabeam omnes Israelitę, preter solos filios Israel qui habitabant in ciuitatibus Iuda, vt legitur iij regi. xij. Vna tribus Iuda tantum ei reliqua mansit cum Beniamitis, & decem tribus defecerunt ad Hieroboam, vt ibidem scribitur c.xi.

Interim subditi admonendi tamē sunt, non minus obediendum durę etiam Potestati i. petri ij. Vos serui subditi sitis in timore dominis non solum benignis & modestis, sed etiam prauis, Siquidem viuit adhuc Deus qui dicit Deut xxxij. Mea est vindicta, Ego retribuam. Is vicem reddet prauis magistratibus.

Quidam dubitant num liceat uti legibus a Cęsaribus aut gentilibus factis, in causis pertinentibus ad possessionem rerum aut ad vindicandum mala. Similiter an liceat suspendere fures, quando lex Mosis aliter docet Exo xxij.

Ideo

Ideo ſciendum eſt quod nobis iure vti licet Cęſareis legibus, aut aliorum ſub quibus viuimus. Sic enim ait Petrus i. pet. ij. Subditi ſitis omni humanæ ordinationi propter dominum, ſiue regi vt ſummo, ſiue preſidibus vt ab eo miſſis ad vindictam malornm laudem vero bonorum.

Quemadmodum neq; circunciſio nobis mandata eſt, ita neq; mandatum eſt, vt leges iudiciornm Moſis ſeruemus, & Apoſtoli aiunt Act. xv. Onus legis non imponendum eſſe gẽtibus. Neq; neceſſe gentes fieri Iudeos, quę poſſunt recte gentes manere, id eſt Ipſe in cauſis ciuilibus poſſunt gentiles ordinationes ſeruare, diuidere res non vt Moſes iubet, punire non legibus Moſis ſed ſecundum ſuas leges

Moſes in Exo. Leuitico, Numeris Deutronomio, pręcepit de decimis ſolis ſacerdotibus perſoluendis. Nos autem decimas debemus dare ijs

quibus

quibus Magiſtatus noſter ordinauerit dandas.

Moſes dicit. Primogenitus duplum præ fratribus ſuis accipiat in hęreditatem. Nos autem ſecundum leges noſtras diſtribuimus fratribus hęreditatem.

Moſes dicit Exo. xxij. fures mulctandos vt reddant quandoq; duplum quandoq; quadruplum. Apud nos poſſunt ſeruari in talibus leges terrarum noſtrarum. Conſultum tamen foret, vt hic ageretur contra fures cū diſcrimine, & non ſemper, vt vocant, ſtricto iure. Siquidem experimur ſępe minima furta, tam ſerio iudicari vt maxima, cum interim ad maiora ſcelera conniueatur ec.

Veteres propterea leges, etiam ſi graues ſint, non abolende ſed ferende ſunt propter pacem. Sciebant maiores noſtri qui tales leges ſtatuerunt quod noſtris hominibꝰ qui audaces oĩa

con

contemnunt talibus legibus & pœnis opus esset.

Iccirco quisq; utatur legibus suæ terræ, hic enim est unus ex gradibus Christianæ libertatis, ut Paulus ait Coloss. iij. quod Christianus non est Græcus, Iudæus, Circumcisio, præputium, Barbarus, Scytha, seruus, liber, sed omnia in omnibus Christus. Et Paulus Rom. xiij. cõfirmat Gentium leges, quando docet, omnem potestatem esse a Deo, non solum apud Iudæos, sed etiam apud Gentes. Item quod oportet nos subdi omni potestati, non solum Christianæ, sed etiam Gentili.

Omnes tamen leges istam legem seruent, ut doceant, quemadmodum Paulus ait Rom. xiij. Laudare benefacta & punire malefacta. Et quamuis duriores quandoq; sint contra ductos, quam lex Mosis, Nõ tamen propterea sunt in iustæ.

D Hæc

Hæc ideo ſcribuntur, quia ſunt qui clamant contra communes leges de decimis, & ſuſpendio & ſimilibus, unde ante aliquot annos exorta eſt ſeditio Ruſticorum, Tales clamatores puniendi ſunt, vt ſeditioſi, Nos enim timere debemus omnes ciuiles leges & ordinationes, vt Dei voluntatem & Dei legem. Salomon enim ait prouerb. xvi. Prophetia eſt in labijs Regis, id eſt, quæ poteſtas ſtatuit aut mandat ſecundum leges & iura, ſeruanda ſunt vt Dei ordinatio, de quo multa ſcribuntur Rom. xiij.

Hic etiam admonendi ſunt homines, vt Cenſus, quos quiſq; debet, fideliter perſoluant, Et licet quidam contractus grauent, tamen quiſq; debitor eſt ad ſoluendum, quia & ſe obligauit, & obedientiam debet Magiſtratui, vt pax in terra noſtra ſeruetur, Quid enim non uelle Cenſus, aut aliud debitum ſoluere, aliud eſt, quam rapinam & homicidia procurare?

Preterea,

Prȩterea, qui Christiano nomine gloriantur, debent prestare charitatem, quæ sponte fert omnia onera, & dat sua etiam quibus secundum leges nihil debet, soluet etiam illa debita, quibus minus iuste grauatur, Non quærit vindictam propria potestate, ut Christus docet Matth. v. Hunc uero honorem merito haberemus Christi Euangelio, vt soluentes fideliter, quæ debemus, non daremus alijs ansam Euangelij & blasphemandi & cõtemnendi, quemadmodum istam occasionem dant, qui sub nomine Euangalij existimant sese liberandos a censibus & alijs ciuilibus oneribus, Potestas enim a Deo ordinata debet abolere iniusta onera, usuras, & iniquas exactiones. Debet enim iniusticiã damnare, & quod iustum est defendere, Rom. xiij.

Alia prȩcepta interprætatur Christus ipse Matth. v. & Catechismi conciones ædite sunt. Ideo hic de eis non repetimus.

DE TRIBVLATIONE Vel Cruce Christianorum.

AD tertiam Christianæ uitæ partem, de qua diximus, id est, ad bona opera, pertinet etiã, vt sciamus quemadmodum in tribulatione sit sentiendum.

Primum docendi sunt homines, quod omnis tribulatio, siue spiritualis siue corporalis (ut paupertas, morbus, periculum puerorum, rerum, pecorum &c. fames & alia) nobis mittitur a Deo, ut per hanc Deus nos exhortetur & prouocet ad pœnitentiam .i. Corinth. xi. Cum iudicamur a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

Deinde non satis est scire tribulationem esse a Deo, sed etiam discere oportet, quod in ea Deus inuocandus est, & confidendum, quod ipse iuuabit, quemadmodum antea de oratiõe dictum

dictum est ex Psalm L. Inuoca me in die tribulationis, & Ego eruam te.

Ad hæc admonendi sunt, vt sciant nostri, quam fragilis sit homo, & quam Diabolus perpetuo conetur ad malum nos impellere, vt nos conijciat in temporalem & æternam infamiam, & ignominiam & miseriam, Christus enim ait Ioan. viij. Diabolus est homicida, Et Petrus .i. Pet. v. Diabolus circuit ut Leo rugiens & querit quem deuoret. Iccirco semper consistamus in timore Dei, Vigilemus & oremus, ut Deus nos gubernet & conseruet. Hæc enim est vera fidei exercitatio, oratione contra talia pericula pugnare, Sic ait Christus Lucæ xxi. Vigilate omni tempore & orate.

Hæc predicta nos Visitatores exhortati sumus & instruximus Pastores, ut hæc precipua Christianæ vitæ, nempe Pœnitentiam, fidem, bona opera aperte & bono ordine doceant,

& alia plura omittant, ex quibus uulgus nihil intelligit.

DE SACRAMENTO Baptismi.

BAPTISmus seruetur ut hacten⁹, nempe ut pueri baptizentur. Nam quando Baptismus hoc significat, quod Circumcisio olim, & pueri circumcidebantur, debent & pueri baptizari. Et sicut Deus dicit, quod uult pueros circumcisos suscipere in suam protectiōem, & Deus esse ipsorum Gen. xvij. ut, inquit, sim Deus tuus, & Deus seminis tui post te, Ita etiam pueri, qui baptizantur, sunt sub Dei protectione. Iccirco Deus serio hic est inuocandus propter hanc suam promissionem.

Docendi etiam sunt rudes, quod Baptismus hæc bona maxima secum adducit, nempe quod Deus est protector & curator pueri & susceptor eius.

Vt autem

Vt autem circumſtantes hanc orationem & verbum Dei in baptiſmo intelligant, Maxime bonũ eſt & conuenit, vt Germanicis verbis Baptiſmus tradatur.

Preterea quandoq; cum de Sacramentis prædicatur, admonendi ſunt homines, vt recogitent ſuum ipſorum baptiſmum, & ſciant baptiſmum non ſolum ſignificare, quod Deus paruulos ſuſcipit tantum, ſed etiam totam uitam noſtram, ut ita non modo paruulis tantum Baptiſmus ſignnm ſit, ſed etiam prouocet & exhortetur adultos ad pœnitentiam. Siquidem pœnitentia, contritio & dolor per baptiſmum aquæ ſignificatur. Simul Baptiſmus fidem excitare debet, quod illis, quos pœnitet peccatorum, peccata abluta & remiſſa ſunt, Hæc enim fides eſt verum & perfectum baptiſma.

Non eſt rixandum de Chriſmate, re nequaquam neceſſaria, ſed libera. Quia verum & neceſſarium Chriſma, quo omnes Chriſtiani ab ipſo-

ipſomet Deo vnguntur, eſt Spiritus-ſanctus, vt legis Eſaię. Lxi. & Ephe. .i. &c.

DE SACRAMENTO Corporis & Sanguinis Domini.

DE Sacramento veri corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, tria hæc populo proponenda ſunt.

Primum, quod panis in cœna Dominica eſt verum corpus Chriſti, & vinum uerus ſanguis Chriſti, quia ita habent verba Chriſti in Euangeliſtis, Matthæo, Marco, & Luca, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, & Bibite ex hoc omnes, Hic eſt ſanguis meus, qui eſt noui Teſtamenti, qui effunditur pro multis, in remiſſionem peccatorum. Paulus ait .i. Corinth. x. Panis quem frangimus, nonne eſt cõmunicatio corporis Chriſti? &c. Si ergo ibi intelligeretur non verum corpus Chriſti, ſed ſolum ver-

bum

bum Dei, ut quidam interpretantur, non esset panis communicatio corporis Christi, sed tantum communicatio verbi & spiritus. Dicit quoq; ibidem cap. xi. quod hic cibus nõ debeat estimari uulgaris cibus, sed corpus Christi, & reprehendit illos, qui sine timore accipiunt, vt uulgarem cibum.

Legant etiam Pastores quæ veteres de hoc scripserunt, ut certius & se & alios confirmare possint. Hilarius octauo libro de Trinitate dicit, nequaquam esse dubitandum, quod ibi sit verum corpus & sanguis Christi, propterea quia Christus hoc dixit.

Hoc quoq; certo scire debemus, tale miraculum soli fidei notum, non fieri presbyteri merito, sed propterea tantum, quod Christus ita ordinauit, ut sit ibi corpus & sanguis eius, quando in cœna eius siue ad mensam eius sacramento communicamus, sicut Sol quotidie oritur, nõ nostro merito, sed propterea, quod Deus ita ordinauit.

Secundum, vt homines instruantur, quod iustum est, ut utraq;, vt vocant, specie communicetur, Postq; enim (sit Deo gratia) in lucem prodijt sanctum Euangelium, vnde clarum huius rei habemus testimonium, nempe quod utraq; species, & danda & accipienda est, quia Christus ita ordinauit, vt indicant tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas, & Paulus ita Christianis tradidit .i. Corinth. xi. nulli homini licet mutare hanc diuinam ordinationem, quando ne hominis quidem Testamentum aut vltima voluntas immutanda est Gal. iij. multo minus ultima Dei voluntas.

Itaq; exhortati sumus Pastores, vt hanc doctrinã Euangelij, de utraq; specie, serio & libere doceant coram quibusuis, siue firmis, siue infirmis, siue dura ceruice hominibus, & ut nequaquam alteram tantum speciem commendent aut permittant, sed cõdemnent, vt Diaboli mandatum, quo condemnatur institutio, & ultima voluntas

luntas

luntas Saluatoris & Domini noſtri Ieſu Chriſti, Vt hæc doctrina libera, pura & manifeſta progrediautr.

Si qui autem dura ceruice ſunt, qui non cedentes manifeſtæ veritati, neq; diſcere neq; facere volunt, quod Chriſtus inſtituit, Apoſtoli docuerũt, ſancta Eccleſia ſeruauit & ſeruat, vt ſponſa obediens marito Chriſto, illis nequaquam vna ſpecies danda eſt, (ſpeciem enim noſtris vocare libuit in his poſtremis temporibus) ſed relinquendi ſunt, vt ſponte damnati, quemadmodũ Pau. Gala. ij. ſuum Titum nõ voluit circumcidi ſecundum voluntatem pertinacium Iudæorum, qui Chriſtiani eſſe volebant, attamen libertatem Chriſtianam pertinaciter condemnabant. Qui enim ſic ſunt pertinaces, non ſolum ſunt infirmi in uſu doctrinæ, ſed etiam ipſam doctrinam, per hoc volunt condematam & iniuſtam haberi, hoc non eſt omnino ferrendum.

Tertium

Tertium, est optimum & summe necessarium, vt doceatur, quis sit usus accipiendi sacramenti, & quemadmodum te ad hoc pares,

Primo doceant Pastores, quam grande peccatum sit ignominia afficere Sacramentum, & non recte eo vti. Paulus enim ait .i. Corinth. xi. quod tales sunt rei corporis & sanguinis Christi, Item, quod accipiunt sibi ad iudicium, Item, quod ideo multi sunt ægroti, & multi mortui inter Christianos, Deus enim dicit in secundo præcepto, Exod. xx. Qui acceperit nomen Domini inuanum, non erit impunitus, absq; dubio etiam non erit inulta hæc ignominia, quę fit corpori & sanguini Domini. Hoc debet diligenter inculcari nostris, vt uitent hoc peccatum, & erudiantur ad timorem, pœnitentiam & uitæ emendationem. Ideoq; non admittantur ad Sacramentum, qui iacent in publicis peccatis, adulterio, ebrietate & similibus, nec a talibus desistere volunt.

Secundo,

Secundo, Nemo admittatur ad Sacramentum, nisi fuerit prius apud Pastorem, siue Predicatorem suum, qui debet quenq; examinare, ut sciat, num de Sacramento satis sit instructus, aut num etiam aliquo indigeat consilio ex verbo Dei, nisi fuerit talis persona, de qua certũ est, quod de hisce omnibus sit rectissime instituta, Si enim uel ipse Pastor aut Prędicator, qui quotidie in sana doctrina uersatur, voluerit ad Sacramentũ accedere sine confessione & examine, non sit hoc ei per hęc prohibitum. Similiter intelligendum est de alijs intelligentibus & notis, qui se ipsos recte admonere ex verbo Dei possunt, ne rursus per nostros erigatur noua Papalis coactio, aut necessaria consuetudo ex tali confessione, quam volumus & debemus habere liberam, Et ego ipse Doctor Martinus aliquando sine confessione accedo, ne mihi ipsi faciam necessariam consuetudinem in mea conscientia, Rursum utor sæpe confessione, nec ea carere volo, maxime propter absolutiõem, quæ est ver-

bum

bum Dei, Pueri enim & uulgus aliter instituendi & regendi sunt, quam intelligentes & exercitati.

Tertio doceatur, quod illi soli digne esuri & bibituri sunt, quos vere pœnitet peccati & erroris, & territas habent conscientias, Contemptores enim secure & absq; timore Dei agentes, non debent accedere, quia scribitur. Hoc facite in mei commemorationem.

Commemorare autem Christi mortem, est non solum historiam passionis Christi audire, sed terreri, quod Deus tantam iram contra peccatum concipit & declarat, vt propter hoc occidat proprium filium. Nullus Angelus, nulli Sancti, potuerunt satisfacere pro peccato, sed Christum, qui Deus est, oportuit seipsum immolare &c. O quam grauis pœna veniet eis, qui peccatum leue ducunt, qui tamen audiunt illud Deum grauissimũ iudicare.

Quisquis

Quiſquis igitur vere commemo-rat mortem Chriſti, accipiat Sacramentum, & in eo conſolationē, Nō quod externa Sacramenti ſumptio cor conſoletur, ſed quod ipſa eſt ſignum conſolationis & remiſſionis peccatorum. Quod ſignum admonet cor, vt credat, quod Deus pœnitenti peccata remittit.

Cor enim admoneri & excitari debet ad credendum, non ſolum per ſumptiōem Sacramenti, ſed etiam per verba, quibus Sacramentum traditur, quia in verbis promittit Deus remiſſionem peccatorum. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, Hic eſt Calix noui Teſtamenti, id eſt, nouæ promiſſionis, promiſſæ iuſticiæ & uitæ ęternæ, In meo ſanguine, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum,

Ita communicantes accipiunt remiſſionem peccatorum, non per externam ſumptionem, ſed per fidem, quæ per verba & ſigna excitatur.

Quarto

Quarto doceatur, quod hoc gratiæ signum, non solum institutum est ad excitandam fidem, sed etiam ad exhortandum ad charitatem .i. Cor. x. Vnus est panis, nos multi sumus vnũ corpus, quia omnes ex illo vno pane participamus, ne foueamus inuidiam & odium, sed mutuo pro nobis soliciti simus, mutuo nos iuuemus eleemosynis & alijs quibusuis obsequijs, nobis a Deo mandatis.

Iste admonitiones pro concione sæpe fiant. Quid enim gerere inuidiam & odium, nullamq; charitatem exhibere, ac postea velle pro membro Christi haberi, est aliud quam corpus Christi ignominia afficere.

DE VERA AC CHRIstiana Pœnitentia.

POENItentia etiam inter Sacramenta relata fuit, propterea quod omnia Sacramenta significant pœnitentiam,

tentiam,

tentiam, & propter alias causas, quas non opus est hic recensere.

Supra indicauimus necessariam esse pœnitentiæ prædicationem, & oportere, vt arguatur secura & impœnitens vita, ut nunc est in mundo, quæ ex parte venit ex non vera de fide intelligentia. Nam multi ubi audierunt se debere credere, per quod remittantur ipsis omnia peccata, fingunt sibi fidem, & putant se esse mundos, quo fiunt temerarij & securi, Hæc carnalis securitas deterior est omni errore, qui hactenus fuit. Ideo semper quando de fide prædicatur, instruendi sunt homines, vt sciant ubi fides esse possit, & qui ad eam perueniatur. Vera .n. pænitētia nō potest esse, ubi nō est vera contritio, timor & terror corā Deo.

Hoc hominibus inculcare est ualde necessarium, quia ubi non est contritio & dolor de peccato, ibi etiam nō est vera fides Psalm. cxlvij. Beneplacitum est Domino super timentes eū,

qui ſperant in miſericordiam eius. Et Deus ipſe dicit Eezech. iij. Quando Prędicator non arguit auditorum errores & peccata, ſe requiſiturum animas eorum ex manibus ipſius. Tale iudicium profert Deus contra prædicatores, qui conſolantur populum, dicentes multa de ſide & remiſſione peccatorum, nihil uero de pœnitentia, timore Dei & iudicio. Tales prædicatores increpat etiam Ieremias cap. viij. Dicens non eſſe credendum ijs, qui clamant Pax, pax, cum tamen Deus ſit iratus & non ſit pax.

Immo timendum eſt, quod Deus hoſce prædicatores cum auditoribus grauiter puniet propter hanc ſecuritatem. Iſtud enim eſt peccatum cõtra quod clamat Ieremias cap. vi. Erubeſcere neſciunt. Et Paulus Ephe. v. damnat eos, qui ſine dolore cordis in ſecuritate & contemptu uiuunt, & dicit, Scitote quod nullus ſcortator, immundus aut auarus, qui eſt idolorum cultor, hæreditatem habet in Regno

Christi & Dei. Nemo uos seducat inanibus verbis. Nam propter hæc uenit ira Dei super filios incredulitatis, propterea ne sitis consortes eorum.

Igitur uera Pœnitentia est cordis contritio & dolor de peccatis, & terror coram ira & iudicio Dei. Hæc vocatur cognitio peccati, Mortificatio carnis, contritio &c. vt uideas uaria nomina pœnitentiam habere in scripturis.

Quidam quando loquuntur de mortificatione, intelligunt tantum carnis refrenationem, quæ potius est opus nouæ uitæ, ante quod requiritur mortificatio carnis, quæ nihil aliud est, quā uera de errore & peccato contritio.

Aliqui uero sic loquuntur, quod oportet cognoscere totam nostram naturam esse malam &c. quę uerba uera quidem sunt, sed quidam putāt, quod se bene cognoscunt, quando simpli-

citer & solum hæc verba cogitare possunt, & fiunt securi.

Est autem longe aliud cognoscere seipsum & per legem venire in cognitionem peccati. Hoc est enim cognoscere peccatum, pœnitere & dolere de eo, & terreri ira & iudicio Dei. Quemadmodũ Dauid cognouit peccatum, quando Propheta Nathan veniens increpauit eum ij. Samuelis xij. Dauid enim iam ante sciebat se peccasse, sed nondum habuit contritionẽ, ergo neq; veram cognitiōem peccati.

Scamna tenentes discunt ire pueri, Ita & ex crassis peccatis, quæ omnes intelligimus discenda est Pœnitentia & contritio. Arguatur ebriositas, scortatio, inuidia, odiũ, auaritia, mendacium & similia, Prouocentur homines ad pœnitentiam proposito eis iudicio Dei, Vindicta & exemplis scripturæ, ut videant quam Deus uindicarit iniusticiam.

Verum

Verum coram Hypocritis ubi neceſſarium eſt, nō obliuiſcantur prę- dicatores admonere de ira & vindicta Dei, quam cōminatus eſt & ſæpe ex- ercuit Deus contra falſos Dei cultores, ſiue hypocritas, qui ſancta ſua ſpecie blaſphemant bonum Dei nomen & verbum.

Quidam exiſtimant, quia Deus veram contritionem in nobis facit, nō eſſe homines ad eam admonendos. Verum quidem eſt, quod Deus ope- ratur in nobis veram contritionem, ſed operatur eam per verbum & præ- dicationem, Quemadmodum enim homines admonentur ut credant, & Deus per talem prædicationem ope- ratur fidem. Sic etiā admonendi ſunt ad pœnitentiam, & cōmittamus Deo negocium, in quibus voluerit operari pœnitentiam. Ipſe enim operatur per prædicationem, quemadmodum ait Moſes Deut. iiij. Deus eſt ignis con- ſumens, quando prædicatio quæ fit de iudicio & ira Dei, in nobis operatur pœnitentiam.

 Itaq́

Itaq; prima pars pœnitentiæ eſt contritio & dolor. Altera eſt credere quod remittuntur peccata propter Chriſtum, quæ fides operatur bonum propoſitum. Iſta fide accipimus remiſſionem peccatorum, vt Paulus docet Rom. iiij. &c. Sed hæc fides, ut ſæpe dictum eſt, non poteſt eſſe, ubi non prius eſt pœnitentia & dolor de errore & peccato. Siquidem pœnitentia ſine fide eſt pœnitentia Saulis & Iudę proditoris, id eſt, deſperatio, Rurſum fides, id eſt, cogitatio & ſomnium de fide ſine pœnitentia eſt præſumptio et carnalis ſecuritas, id quod poſt hæc uidebis.

Ante hac docuerũt tres eſſe partes pœnitentiæ, Contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, De prima parte diximus, quod pœnitentia & dolor debet prædicari, & quod cognitio peccati & mortificatio vocantur pœnitentia & dolor, Et præſtat retinere hæc vocabula, Contritio & dolor in uſu, quia hæc ſunt clara & facilia intellectu, maxime Germanicæ

expreſſa,

expreſſa Rew vnd leid/ & ut Dani loquuntur. Anger oc ruelſe.

DE VERA AC CHRIſtiana confeſſione.

PAPIſtica Confeſſio nō eſt a Deo mandata, nempe illa omniū peccatorum enumeratio, id quod etiam impoſſibile eſt, quemadmodum Pſal. xix. dicitur. Errores quis intelliget? ab occultis meis munda me &c. Sunt tamen admouendi homines propter multas cauſas ad confeſſionem, maxime caſuum ut vocant, propter quos indigent conſilio, & peccatorum, quæ præ cęteris plus ipſos grauant.

Nullus præterea admittatur ad Sacramentum, niſi ante a ſuo Paſtore examinatus, ut ſciat num ſit talis, qui accedere ad ſacram cœnam poſſit .i. Corinth. xi. Qui indigne &c.

Ignominiam uero irrogant Sacramento nō ſolum, qui indigne accipiunt,

piunt, ſed etiam qui per negligentiam indignis tradunt. Cauendum igitur omnino, ne uulgus conſuetudine ſola tantum accurrat ad Sacramentum, & neſciat interim Sacramenti uſum.

Qui ergo ignorat uſum Sacramenti, non admittatur, Ad uſum Sacramenti in tali examinatione admoneantur etiam homines ut confiteantur, ut recte inſtituantur, ſi habent quoſdam dubios conſcientiæ caſus, ut accipiant conſolatiõem audientes uerba abſolutionis ex Chriſti Euangelio, ſi vere eos pœnitet delictorum.

Maxime vero de abſolutione, de qua apud Papiſtas pro concione altiſſimum fuit ſilentium, publice prædicandum eſt & bene declarandum, quod ipſa eſt Dei verbum, per quod cuiq; ſeorſum peccata remittuntur & remiſſa pronuntiantur, qno fides excitatur & confortatur &c. Tamen ita vt hæc Chriſtianis ſint libera, hoc eſt, non prohibita illis, qui abſolutione uti

volunt

volunt, & forte libentius eam accipe-
re a ſuo Paſtore, vt publico Eccleſiæ
miniſtro quam ab alio, qui & fortaſſe
ea carere non poſſunt, Rurſum non
ſint hæc quaſi legis coactione mandata
illis, qui ſoli Deo peccata confiteri vo-
lunt, maxime ſi iam ante ſint ſatis inſti-
tuti in fide & doctrina Chriſti, hi ſi vo
lunt ita accedere ad Sacramentum, nō
ſunt prohibendi, neq; ad aliud facien-
dum cogendi, Nam quiſq; ibi edit &
bibit ſibi, ut Paulus ait, Probet aūt &c,
id eſt, pro ſua conſcientia.

DE VERA AC CHRI- ſtiana ſatisfactione pro pecca catis, quæ eſt fides in Chri- ſtum.

SATISfactio pro peccatis noſtris,
non ſunt ulla opera noſtra, ſed ſo-
lus Chriſtus ſatisfecit pro peccatis no-
ſtris, Ideo illa ſatisfactio, quam docue-
runt Papiſtæ, diligentiſſime pro con-
cione & alias eſt damnanda cū omni-
bus mendacijs & fictis cultib. Dei,

quæ huic Papiſticæ & maledictæ ſatiſfactioni adhærent, ut ſunt, Purgatorium, Miſſa, Peregrinationes &c. Satisfactio enim non eſt connumeranda uel aſſuenda noſtræ pœnitentiæ, ſed eſt ut ita dicamus, Pœnitentia Chriſti, qui pro nobis ſatisfecit ſine omni noſtro opere, & potius pertinet ad fidem noſtram, ut ſciamus Chriſtum ipſum ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris. Non enim ſatis eſt ſcire, quod Deus uelit peccata punire, & quod ſit dolendum & conterendum cor de peccatis, Sed neceſſe eſt etiam ſcire, q̄d Deus propter Chriſtum uult remittere peccata. Neceſſe eſt enim fidem cum pœnitentia eſſe coniunctam, quia Pœnitentia ſeu contritio cordis ſine fide facit deſperare, ut uides in Iuda & Saulo, rurſum uera fides ſine pœnitentia haberi non poteſt.

Ita admoneantur homines, Primum prouocentur ad timorem, Magna enim ira Dei eſt contra peccata, quod nullus poteſt pro eis ſatisfacere niſi ſolus Chriſtus filius Dei, Id quod

merito

merito nos terreat, nempe, quod Deus tantum irascitur contra peccata, Non est hic contemnendū illud Christi uerbum Lucę xxiij. Si uiridi ligno hæc faciunt, quid fiet in arido? Si Christum ita oportuit pati propter nostra peccata, quanto plus patiemur, si iram Dei contemnentes peccatorum nostrorum nos non pœnituerit?

Breuiter, qui non nouit meliora simplicissime & crassissime hæc duo sibi proponat, Mori & Viuere, quæ quisq; uel cogitur nosse. Quod morimur, ex peccato uenit Gen. iij. Rom. vi. Stipendium peccati mors est, Ideoq; primum inculcanda est hominibus talis ira Dei, quod per hanc puniuit peccata hominum, & comminatur adhuc se puniturum, nisi conuertantur Psalm. vij. Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrauit &c. Rudes enim & securi obliuiscuntur huius iræ Dei, & nō meminerunt se morituros quando peccant. Ideo admonendi sunt ita, ut Moses suis cornibus aut splendoribus,

doribus, id eſt, Dei lex, impetat eos, vt terreantur præ morte & ira Dei. Siquidem ira Dei & mors non poteſt reuelari niſi per legem Rom iij. Icirco ſerio docenda eſt Lex & peccata bene declaranda, Qui ergo cornibus Moſis ita percuſſi & humiliati terrore iudicij & iræ Dei ſentiunt mortem, aut metuunt ſe ſenſuros, illi ſunt, qui conceperunt pœnitentiam & contritionem, Nam ſentire iram Dei & aculeum mortis, facit perire riſum & omne gaudium, quod habent contemptores in peccatis. Hoc ergo mori ſiue mors facile intelligi poteſt. Eſt .n. contritio, uel mortificatio, hoc eſt, terreri morte & ira Dei.

Mox alterum ſequi debet & talibus hominibus diligenter proponi, nempe, quod non ſatis eſt ita mori & terreri, ſed Deum velle non mortem ſed vitam, Pſalm. xxx. Ad momentum durat ira eius, & vita eſt in voluntate eius &c. Et Ezech. xviij. Nolo mortem peccatoris &c. Huc pertinet

tinet

tinet Dominus noster Iesus Christus, qui sequitur Mosen, & occidit pro nobis mortem &c.

Qui autem non timent mortem & cornua Mosis, ij neq; vitam neq; Christum desiderant, quemadmodū videmus uulgo & Euangelium & legem contemni ab ijs, qui nihil curant, neq; vitam neq; mortem, Talibus nō est prædicandum, Sunt enim porci & canes, qui quod sanctum est conculcant & nos lacerant Matth. vij.

Et ita sunt prouocandi homines ad fidem, nempe, quamuis nihil meriti simus nisi damnationem, tamen remittit nobis Deus peccata sine nostro merito propter Christum. Hæc est satisfactio. Nam fide accipimus remissionem peccatorum, si credimus Christum pro nobis satisfecisse .i. Io ij. Is est reconciliatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis.

De

DE ECCLESIASTICIS hominum ordinationibus.

PLVrimum incommodi accedere uidemus ex imprudenti prędicatione, quæ fit de Ecclesiasticis ordinationibus. Ideo admonuimus pastores, ut magis curent docere necessaria, ut Christianam pœnitentiam, de qua diximus, Fidem, bona operaˈ, Dei timorem, Orare, non blasphemare, parentes honorare, Educare filios, honorare Potestatem, non inuidere, non odisse, nemini iniuriam facere, nõ occidere, Castitatem, in coniugio honestatem, non sectari auaritiam, non furari, non Ebrietati studere, non mentiri, nullius famam lædere, Hæc enim plus necessaria sunt, quam feria sexta carnes edere & similia, quamquam & hoc iustum est coram Deo & in conscientia.

Tamen instruendi sunt homines, ut distincte & cum discrimine loquantur de Ecclesiasticis ordinationibus,

Quæ

Quædam enim factæ sunt propter bonum ordinem & pacem .i. Corin. xiiij. Omnia ordinate fiant in Ecclesia.

Ideo dominici dies & quædam aliȩ feriæ, ut in nostris parrochijs consuetum est, seruentur. Opus enim habent homines quibusdam certis temporibus, ut conueniant ad audiendum uerbum Dei.

Neq; contendant Pastores inter se, quando quispiam ex causa aliquo die feriatur, ut prȩdicet uerbum, & alij non feriantur alibi, sed quisq; seruet suam consuetudinem in pace, donec de his ordinate constituatur, Ita tamē ne omnes dies festi aboleantur, Consultum foret, ut concordes seruarent Dominicos dies, Annuntiationis, Purificationis, Visitationis Mariȩ uirginis, Ioannis Baptistȩ, Michaelis, Apostolorum, Magdaelnȩ, Nisi alicubi quȩdam talia festa essent abrogata, ut omnia commode restitui non possint. Hȩc autē obseruentur ab omnibus, Festum Natiuitatis Dominicȩ.

Circum-

Circumcisionis, Epiphaniæ, Pascæ, Ascensionis, Pentecostes, omissis tamen, quas vocant, Legendis non satis Christianis, & cantibus, qui non sunt ex sciptura, quod enim esset festum mendacia probare & prædicare? Hęc autē festa propterea ita ordinata sunt, quia omnia gesta Christi præcipua, non possunt semel congregato populo proponi, ideo commodum est illa sic per annum distribui, maxime in illa tempora quando gesta sunt, ut etiam tempora pueros & rudes admoneant rerum pro salute nostra gestarum cū prædicatione, sine qua illa nihil essent. Quemadmodum in scholis ordinatur ut alio die Virgilius, alio legatur Homerus. Obseruandæ etiam sunt cōsuetæ feriæ & consueto more in hebdomada ante Pascha, quando Passio prædicatur, nec est necesse hanc antiquam consuetudinem & ordinationem mutare, licet tamen interim etiā non necessarium est prædicationem passionis illi tempori esse alligatam, quæ est omnium temporum sicut & aliæ prædicationes.

Inſtruendi autem ſunt homines, quod tales feriæ ad hoc ſolum ſeruantur, ut uerbum Dei in eis prædicetur, & ſi cui incideret neceſſarius labor, quod poſſit illum facere, Deus enim exigit a nobis tales Eccleſiarum ordinationes nō propter aliud quam propter prædicationem & doctrinam uerbi ſui, quemadmodum Paulus Col. ij. Nemo vos iudicet de cibo & potu, aut parte diei feſti &c.

Præter has conſtitutiones, quæ factę ſunt propter bonum ordinem, ſunt & alię, quę hac opinione factę ſunt aut ſeruantur, ut ſint ſpeciales cultus Dei, per quos Deus reconcilietur & mereamur gratiam, ut ſunt mandata ieiunia, prohibitio eſus carnium feria ſexta &c. Chriſtus Matth. xv. docet tales ordinationes eſſe inutiles ad reconciliandum Deum, Fruſtra inquit, colunt me, eo quod docent doctrinas & mandata hominum. Sic & Paulus .i Timoth. iiij. tales ordinationes & obſeruationes vocat doctrinas

dęmoniorum. Et docet, Col. ij. Nemo vos iudicet de talibus, id eſt, non ſunt faciendæ ordinationes tales nec docendum, quod eas uiolare ſit peccatum, aut eas obſeruare ſit cultus Dei. Nam iure uiolarunt etiã eas Apoſtoli Math. xij.

Indicandum tamen eſt hominibus, ne tales ordinationes uiolentur coram imbecillioribus, qui nondum inſtructi ſunt, ne ſcandalizentur. Nihil eſt enim agendum contra charitatem, ſed omnibus utendum ad augendam charitatem, ut Paulus ait .i. Corinth. xiij. Si haberem fidem qua poſſem transferre montes, charitatem autem non haberem, nihil eſſem.

Inſtruendi hic etiam ſunt homines quid interſit inter Eccleſiaſticas ordinationes, & inter leges ciuiles Magiſtratus, Hæ enim omnes, nempe conſtitutiones ciuiles ſeruandæ ſunt, quia nõ ordinant nouum cultum Dei, ſed tantum ad pacem & honeſtatem conſeruandã ſeruantur. Sunt itaq; ſeruandæ, niſi pręciperent

ciperent agere contra præcepta Dei, ut
quando Magiſtratus præcipit omitten
dum Euangelium, aut aliquid ad Euan
gelium pertinens, Hic ſeruanda eſt re-
gula Acto, v. Oportet obedire plus
Deo, quam hominibus.

Miſſæ purgatorij pro animabus
& aliæ uenales Miſſæ ſint poſthac in
totum abrogatæ. Si enim Miſſæ ani-
marum, Vigiliæ & ſimilia ualerent, ſe-
queretur peccata aboleri poſſe per o-
pera. At Chriſtus ſolus eſt agnus Dei,
tollens peccata mnndi, ut dicit Ioannes
Baptiſta. Prȩterea Miſſæ, (ſi ita uo-
care libet) ſunt inſtitutæ pro uiuis &
non pro mortuis, ad accipiendum cor-
pus & ſanguinem Chriſti in comme-
moratiōem mortis eius. Nemo autem
poteſt commemorare mortem Chri-
ſti niſi uiuus, qui in hac uita agit, ut ta-
ceamus de audiendo, edendo & biben
do &c.

Quid de Canone Miſſario prȩſ-
biteri noſtri ſentiant, ex alijs libris iam
ante didicerunt, neq; neceſſe eſt mul-
tum de hoc laicis prædicare.

Quidam Germanice, quidam Latine canunt Miſſas, id quod non moramur. Tamen utile & commodum uidetur Germanice cantari, ubi populus latine non intelligit, ut populus ea, quæ canuntur & leguntur, eo melius intelligat .i. Corinth. xiiij. Quando benedicis in ſpiritu, quomodo qui in uulgo eſt reſpondebit Amen ad tuam benedictionem, quando non intelligit quæ dicis? Tu quidem dicis bene, ſed alius inde non ædificatur, Et rurſum, Omnia fiant ad ædificationem.

In ſummis Feſtis, ut Natiuitatis Chriſti, Paſcæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes & ſimilibus, bonum eſſet in Miſſa latine canere, ſed tantum ex ſcriptura, Deformitas eſt ſemper eadem canere. Nec quiſq; faciat Germanica cantica, niſi qui donum habet a Deo, ut commoda facere poſſit.

Porro quamuis dictum ſit de ſeruandis quibuſdam ferijs propter uerbum Dei, & docendum & audiendũ, tamen

tamen hoc non fit ut per hoc confirmentur sanctorum impiæ inuocationes & patrocinia, Christus Iesus enim solus est Mediator intercedens pro nobis .i. Ioan. ij. Rom. viij.

Vere autem ita honorantur sancti, quod sciamus eos nobis propositos speculum & exempla diuinæ misericordiæ & gratiæ. Quemadmodū enim Petrus, Paulus & alij sancti nobis in carne & sanguine & infirmitate similes, ex gratia Dei per fidem saluati sunt. Ita per hæc exempla concipimus consolationē, quod Deus etiam nobis non imputabit infirmitatem & ignoscet peccata, quando confidimus ei & credimus & in infirmitate nostra eum inuocamus, ut illi.

Sanctorum honor in hoc quoq; consistit, quando nos exercemus fide & charitate siue bonis operibus, & in his crescimus, quemadmodum uidemus & audimus illos fecisse.

Prouocandi igitur ſunt homines per exempla Sanctorum ad fidem & bona opera, quemadmodum ſcribitur, Heb. xiij. Mementote illorum, qui præſunt vobis, qui vos uerbo Dei docuerunt, quorum finem intuentes imitamini fidem, Sic & Petrus mulieres admonet .i. Pet. iij. ut imitentur matrem ſuam Saram ornatu cordis, modeſto, & quieto ſpiritu. Sic inquit & ſanctæ mulieres olim ſe comebant, quę confidebant in Deum, & maritis ſuis obediebant, quemadmodum Sara obediebat Abrahæ vocans eum dominum ſuum, cuius filiæ vos eſtis factæ, ſi bene facitis, non meticuloſæ.

DE MATRIMONIO.

DE coniugio inſtruant Paſtores diligenter populum, quod ſit a Deo inſtitutum, Ideoq; eum inuocandum a coniugibus & bene ſperandum in omni neceſſitate. Nam quando Deus inſtituit coniugium & benedixit ei, Gen. ij. debent coniuges gratiam &

am & auxiliũ a Deo ſperare in omni incommodo, Prouerb. xviij. Qui inuenit mulierem, inuenit bonũ & hauriet iucunditatem a Domino, id eſt, beneplacitum, Item quemadmodum honeſtatem ſeruent in coniugio, & mutuam patientiam & charitatem ibi præſtent, docet Paulus Ephe. v. Et quod ſe non poſſint ſeparare, docet ipſe Chriſtus Matth. xix.

Quia uero experimur quoſdam leuiter & per contemptum abuti libertate Chriſtiana in multis, & ſine omni neceſſitate ſuſcitare ſcandala, debent Paſtores de coniugio, quod ad gradus ſaguinis attinet & affinitatis, & ſimilia, diſtincte & cum iudicio docere & agere, Nã ut Paulus ait Gal v. Chriſtiana libertas non eſt data ad hoc, ut quiſq; pro ſua libidine per hanc ludat & faciat quod libet, ſed ut libera conſcientia ſuo proximo & ſeruiat & uiuat, In libertatem, inquit, vocati eſtis tantũ, ne hanc detis occaſionem carni, Si autem Parochi in his dubitauerint,

consulant doctiores, aut causam remittant ad Illustrissimum Principem nostrum, aut eius Cancellarium, secundum mandatum ipsis traditum.

DE LIBERO ARBItrio.

QVIdam absq; discrimine loquũtur de libero arbitrio, ideo addidimus hanc breuiusculam instructionem.

Homo ex innatis uiribus habet liberum arbitrium, externa opera uel faciendi uel omittendi, coactus per legem & comminatas pœnas. Hinc potest ciuilem probitatem, siue iusticiam & bona opera prȩstare ex proprijs uiribus, ad hoc a Deo datis & conseruatis. Nam Paulus hoc ipsum nominat iusticiam carnis, id est, eam quam caro siue homo facit ex proprijs uirib. Si ergo homo ex proprijs uiribus operatur aliquam iusticiam, certum est, quod habet aliquam electionem & libertetem malum uitandi & bonum

facien-

faciendi. Deus quoq; hanc externam etciuilem iusticiam exigit Gal. iij. Lex data est propter transgresionem. Et .i. Timoth. i. Lex iusto non est posita sed iniustis & inobedientibus, impijs & peccatoribus, quasi dicat, Cor proprijs uiribus non possumus immutare, tamen externam transgresionem uitare possumus, Docendum est etiam, quod Deo non placet uita contemptrix & gentilis, sed quod Deus a quolibet exigit hanc iusticiam, & punit horrende omnigenis mundi plagis & æterna pœna hanc impiam uitam.

Tamen impeditur hæc libertas per Diabolum. Si enim homo per Deum non defenditur & gubernatur Diabolus perpetuo eum adigit ad peccandum, ne possit uel externe iustus esse, hoc est necessarium scire, ut homines discant, quam fragilis & miser sit homo, qui non quærit auxilium a Deo, hoc sciamus & Deum inuocemus, ut iuuet nos, & impediat Diabolum, conseruet nos, & uera cœlestia

dona nobis tribuat.

Deinde non poteſt homo ex proprijs uiribus cor mundificare & operari Dei dona, ut ſunt uera pœnitentia de peccatis, uerus & non fictus timor Dei, uera fides, uera charitas, caſtitas, non quærere uindictam, uera patientia, fidelis inuocatio, non ſectari auaritiam &c.

Sic Paulus ait Rom. viij. Naturalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt, non uidet iram Dei, ideo non uere timet, non uidet Dei miſericordiam, ideo non uere confidit aut credit ei, Rogandum igitur eſt nobis perpetuo, ut Deus operetur in nobis ſua dona, hæc vocatur Chriſtiana iuſticia.

DE CHRISTIANA libertate.

QVIdam etiam loquuntur ſine diſcrimine de Chriſtiana libertate, Vnde aliqui homines putant ſe liberos eſſe, ne ullum habeant Magiſtratum,

ſtratum, ne poſt hac ſoluant debita. Alij exiſtimant Chriſtianam libertatem non eſſe aliud, quam carnes edere, non confiteri, non ieiunare.

Has ſtultas opiniones uulgi repræhendere debent Prædicatores, & docere, quæ ad emendationem, non quę ad temeritatem ſpectant.

Primum itaq; libertas Chriſtiana eſt, a poteſtate Diaboli liberum eſſe, id eſt, habere remiſſionem peccatorū per Chriſtum, ſine noſtro merito aut opere, operante fidem in nobis Spiritu ſancto.

Hęc libertas bene intellecta ſummā adducit pijs conſolationem, & incendit eos ad Dei dilectionem & ad Chriſtiana opera, ideo hoc ſæpe docendum eſt, nempe ita. Quod qui per Spiritū ſanctum non conſeruantur, ſuper eos Diabolus habet poteſtatem adigendi eos ad horrēda ſcelera et turpitudines, aliū ad adulterium, alium ad furta, aliū ad homicidia, quemadmodum uidemus

mus

mus multos in talia incidere, ut neſciant qui fiat, & querantur ſe a Diabolo adactos. Hæc vocatur captiuitas humani generis. Non enim quieſcit Diabolus & eſt homicida, & uigilat, ut corpus noſtrum & animam perdat, & delectatur perditione noſtri.

Contra hoc vocatur Chriſtiana Libertas, quod Chriſtus promiſit nobis Spiritumſanctum, quo nos uult regere & conſeruare, contra talem Diabolicam poteſtatem. Chriſtus ait Io viij. Si filius vos liberauerit, uere liberi eritis.

Hic admonendi ſunt homines ad timorem, ut cogitent in quantis ſint periculis, quando nemo tutus eſt a peccato & infamia, niſi Deus conſeruet. Contra quod a dmonendi quoq; ſunt & conſolatione confortandi, ut credant, & orent ut Spirituſancto cuſtodiantur a ſpiritu maligno, quemadmodum Chriſtus iuſsit orare Lucæ xxij. Orate, ne intretis in tentatiōem.

Non

Non enim eſt Diabolus impotens aut contemnendus aduerſarius, ſed eſt Princeps mundi huius, quemadmodum ipſe Chriſtus eum nominat Ioan. xij. xiiij. & xvi. & Deus huius mundi, ut ait Paulus ij. Corinth. iiij. Iccirco pugnandum eſt nobis (Ephe. vi.) nō contra carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus Magiſtratus tenebrarum, aduerſus malignos ſpiritus ſub cœlo, Hæc autem eſt noſtri conſolatio .i. Ioan. iiij. quod maior eſt, qui eſt in nobis, quam qui in mundo.

Hæc pars Chriſtianæ libertatis ſæpe inculcetur, ut homines ad timorem & fidem prouocentur. Nulla .n. pars doctrinæ Chriſtianæ magis gaudio afficit pia corda, quam quod ſciamus Deum nos uelle gubernare & protegere, quemadmouum Chriſtus dixit Matth. xvi. Portæ inferi non prȩualebunt aduerſus eam.

Secundo eſt Chriſtiana Libertas, quod

quod Chriſtus non alligat nos ceremonijs & iudicijs legis Moſis, ſed uti licet ordinationibus ciuilibus iudiciorum omnium regionum in quibus agimus, apud Saxones Saxonicis legib. apud alios Romanis &c. Tales omnes ordinationes, ſi non ſunt contra Deum aut rationem ſiue naturale iudicium, approbat Deus & confirmat, ut ante dictum eſt, Rom. xiij. Omnis poteſtas a Deo eſt, non Iudaica ſolum, ſed etiam omnium nationum .i. Petri. ij. Subiecti eſtote omni humanæ ordinationi.

Tertia pars Chriſtianæ libertatis pertinet ad Eccleſiaſticas hominum conſtitutiones, id eſt, Ieiunia, ferias, & ſimilia, Hic neceſſe eſt ſcire, quod hæ ordinationes non proſunt ad conſequendam iuſticiam corã Deo Math. xv. Fruſta colunt me &c. De hoc diximus ſupra, triplices eſſe Eccleſiaſticas ordinationes.

Quædam quæ ſine peccato non

poſſunt

possunt seruari, ut prohibitio nuptiarum, non debent seruari, Plus enim obediendum est Deo, quam hominib. Acto. v. Et sunt tantū doctrinæ Dæmoniorum .i. Timoth. iiij. Insuper Christus Matth. xv. condemnat traditiones, quæ iubent peccare contra Dei mandata.

Aliæ ordinationes factæ sunt, nō ut sint speciales cultus Dei, non ad gratiam merendam, aut ad satisfaciendū pro peccatis, neq; ad hoc ut sint necessariæ obseruatiōes, sed utiles, ut quod feriamur Dominico die, in Pascate, Pentecoste, Natali Domini, quæ tempora ordinata sunt, ut sciant homines, quando conueniendum sit ad discendum uerbum Dei, non quod necessarium sit præcise talia obseruare tempora, uel quod peccatum sit tunc opus manuarium facere, sed postquam nouit quisq; illa tempora, bonum est tunc seruare, conuenire, & discere.

Quæ tertio loco sunt ordinationes, ad hoc factæ ut sint cultus Dei speciales, ut mereamur per eas gratiam, & indul-

& indulgentias, ut uocant peccatorũ, ut mandata ieiunia, non edere carnes feria ſexta, ſeptem horas legere & ſimilia, plane hac ratione ſunt impia, ideo licet talia præcepta negligere, quod & Paulus ea vocat doctrinas Dęmoniorum, nempe quando tales ordinatiões ſeruantur, aut exiguntur ea opinione, ut mereamur per eas gratiã, uel quod neceſſaria ſint ad merendam a Deo gratiam.

DE TVRCIS.

DE Turca etiam quidam prædicatores multa clamant, quod nõ liceat ei reſiſtere propterea, quod uindicta Chriſtianis prohibita ſit. Hic ſermo eſt ſeditioſus & non ſuſtinendus, Magiſtratui enim datus eſt gladius & poteſtas, & ei mandetum, ut homicidia & rapinas uindicet & coerceat, atq; ideo debet armis prohibere eos, qui contra Ius bellare tentant, rapinaſq; & homicidia meditantur. Hæc uindicta non eſt prohibita, Sic enim

ait

ait Paulus Rom. xiij. Potestas est uindex Dei, id est, a Deo ordinata & mandatum habens, qui & adsistet ei in tempore angustiæ.

Vindicta autem Christianis est prohibita, quæ tentatur non per Potestatem, neqꝫ ex potestatis mandato. Et sicut Scriptura Christianis priuatam uindictam prohibet, ita rursum mandat eam Magistratui, & nominat uindictam, quę fit per Magistratum, cultum siue seruitutem Dei. Immo summa eleemosyna est homicidia per gladium prohibere, quemadmodum Deꝰ mandauit Gen. ix. Qui fuderit humanum sanguinem, fundatur & sanguis eius.

Quidam etiam dicunt fidem gladio non defendendam, sed patiendum nobis ut Christo, ut Apostolis &c. Propter hoc sciendum est, uerum esse quod qui non sunt in politico Magistratu, debent pro se quisqꝫ pati, non se defendere, qnemadmodum Christus non se defendit, nõ enim uoluit in ter-

ris politicum gerere Magiſtratū, quemadmodum Ioan. vi. non permiſit ſe Regem eligi à Iudæis.

Tamen Poteſtas debet ſuos uindicare ab iniuria, ſiue iniuria fiat aut intentetur propter fidem, ſiue propter alia.

Adde, quod quando poteſtas debet honorare bene facta, & male facta punire, Rom. xiij. .i. Pet. ij. Debet etiam obſiſtere illis, qui verum Dei cultū, bonas ciuiles ordinationes, leges & iudicia abolere volūt. Ideo oportet Turcis reſiſtere, qui non terras ſolum uaſtare volunt, uxores & liberos uiolare et occidere, ſed etiam Iura, religionem veram, & omnes bonas ordinationes tollere, ut nec qui reliqui fuerint ſecure uiuere poſſint, neq; filios erudire.

Itaq; Poteſtas pręcipue pugnare debet, ut conſeruetur in terris Ius & Poteſtas, ne poſteri inhoneſte uiuant, Tollerabilius eſſet bono uiro, ſi eius liberi occiderentur, quam quod coguntur Turcicos diſcere mores. Turcæ nullam

nullam aut norunt aut curant honestatem. Potentes eorum rapiunt aliorum bona, uxores, liberos, ut libet, uulgus non curat debitum coniugale, accipiũt mulieres, & rursum extrudunt eas, ut uisum fuerit, venduntq; filios. Qui mores, quid aliud sunt quam mera homicidia? Hoc experti sunt Hungari, certissimui huius rei testes, qui sese ubi uadunt contra Turcas, sic exhortantur. Eia agite, etiam si non esset Christiana fides, tamen necessarium esset nobis pugnare contra Turcas pro nostris uxoribus & liberis. Prȩoptamus potius mortem priusquam uideamus illorum erga nostros turpitudinem. Turcæ enim agunt homines in forum, emunt & uendunt eos, utuntur eis, ut iumentis, siue uiris siue mulieribus, siue iuuenibus, siue senibus, siue uirginibus, siue uxoribus, ita ut plane abominatio sine ulla humanitate sit Turcica uita.

Ideo debent Prædicatores exhortari homines, ut orent Deum, ut ab

his ferls conseruemur, & docere quod sit uerus Dei cultus cōtra tales pugnare ex Magistratus mandato.

DE QVOTIDIANO exercitio in Ecclesia.

POSTquam in multis locis ueteres ceremoniæ abolitæ sunt, & parū legitur in templis aut cantatur, ita ordinatum est, ut seruetur posthac in Ecclesijs & Scholis, maxime ubi multus est populus in ciuitatibus & oppidis.

Primum licet in Ecclesijs mane canere tres Psalmos latine uel germanice, Et in diebus quando non prædicatur, potest ab aliquo prædicatore legi lectio ex Matthæo, Luca, prima Epistola Ioannis, Duabus Petri, quibusdam sancti Pauli, ut ad Timotheum, Titum, Ephesios, Colossenses scriptis. His finitis, incipiatur rursum a principio, Et qui legit lectionem, postea exhortetur populum ad orandum Pater noster pro publica necessitate,

max me

maxime pro ijs, quæ eo tempore accidunt, ut pro pace, uictu, inprimis pro Dei gratia, ut conseruet nos & gubernet. Post potest tota Ecclesia canere canticum Germanicnm, & prædicator addere collectam.

Vesperi bonum esset tres Psalmos vespertinos canere, latine, non germanice, propter Scholasticos, ut assuescant latino, Postea aliquam Antiphonam, Hymnum & Responsorium, quæ pura sint, id est, ex Scriptura sacra. Post hæc posset legi lectio germanica ex Genesi, ex libro Iudicum, Regũ, post quam iubeantur orare Pater noster. Hinc posset cantari Magnificat, uel Te Deum laudamus, vel Benedictus, vel Quicunq; uult saluus esse, aut dici possent puræ aliquæ preces, ut iuuentus assuefiat ad scripturam & in ea permaneat. Post hæc omnia, posset tota Ecclesia canere germanice, & Presbyter addere Collectam.

In paruis oppidulis ubi non sunt

Scholaſtici non eſt neceſſarium quotidie canere, bonum tamen eſſet aliquid canere, quando eſt prædicandum. Eſt autem prædicandum feria quarta & ſexta, prȩter Dominicam diem, & feſta, quæ habent ſuas de prædicatione ordinationes.

Curet præterea Paſtor, ut utiles libri ſcripturæ, non difficiles pro populo aſſumantur ad prædicandum. Et ut fides ita prædicetur, ut ſimul uera ac Chriſtiana pœnitentia, iudicium Dei ac timor, bona opera doceantur, eo modo, ut ante dictum eſt. Sine pœnitentia enim fides, aut haberi aut intelligi non poteſt.

Diebus feſtis debet mane & ad veſperam prædicari, mane Euangelium, veſperi autem ſiue poſt prandium, quia familiæ & iuuentus veniunt ad concionem, bonum iudicamus Dominica die docere & interpretari perpetuo decem præcepta, articulos fidei & orationem Dominicam, Decem præcepta, ut per ſea homines ad timorem

Dei

Dei prouocentur. Orationem Dominicam, ut sciant quid orent.

In articulis fidei hæc tria præcipua diligentissime tractentur, Creatio, Redemptio & Sanctificatio, Bonum .n. iudicamus, ut de Creatione sic doceatur, ut sciant Deum adhuc creare, nutrire, producere omnia &c. Per hoc admoneantur homines ad fidem, ut Deum inuocantes oremus pro uictu, uita, sanitate, & similibus corporis necessitatibus.

Postea instituantur de Redemptione, quod peccata nobis remittuntur propter Christum, quo trahendi sunt, omnes articuli de Christo, quod natus est, mortuus est & resurrexit &c.

Tertius Articulus Sanctificatio, est operatio Spiritussancti, Hic admoneantur, ut orent, ut Deus suo spiritu nos regat & custodiat, ut sciant quam fragiles nos simus, & quam horrende cadamus, nisi Deus per Spiritumsanctũ nos erudiat uerbo Dei & custodiat.

Quando uero Dominicis diebus hæc, nempe, Decem pręcepta, articuli fidei, & oratio Dominica, ad finem perducta sunt, reliquæ postea contiones eiusdem horæ sint de Matrimonio, De Baptismate & de Cœna Dominica, Post quas finitas rursum incipiatur Catechismi prædicatio &c. In hac prædicatione propter pueros & rudes, debent ad verbum recitari præcepta, fides, oratio Christi & institutio duorum Sacramentorum.

Prędicatores abstineant a contumeliosis verbis, & uitia in genere condemnent verbo Dei.

Interim tamen Papatũm cũ omnibus eum defendentibus ardenter condemnare debent, ut qui iam a Deo cõdemnatus est, sicut Diabolum ipsum, & eius Regnum. Siquidem Papatus & Antichristi regnum horrende persequitur per Diabolum Christianam Ecclesiam & uerbum Dei, sub nomine Christianæ Ecclesiæ. Condemnandus est

dus est ergo ne per Papistarum menda
cia & speciem ueri Christiani amplius
seducantur. Et quantum Diabolus &
eius Papistæ non cessant blasphemare
Christum & eius verbum, tantum eti-
am non debent prædicatores silere aut
cessare a condemnatione mendaciorũ
& Idolatriæ eorum, per quod homines
perpetuo contineantur in timore Dei,
& fide Christi, contra Antichristi &
Diaboli mendacia. Præter hęc, quæ
sunt gloria Christi, neminem debent
nominatim notare ad ignominiam, ni-
si nimis manifestum sit flagitium, uel a
Deo iam iudicatũ, uel ab Ecclesia no-
stra condemnatum; aut publica gladij
potestate punitum.

In festis Christi seruetur secundum
cuiusq; Parrochiæ consuetudinem, de-
bet post prandium, siue ad vesperam
prædicari de festo ex Scriptura sacra, id
quod ipsa res postulabit. Seruentur
uero festa, ut ante dictum est.

Admoneantur autem homines de

Sacramento, ne accurrant ad cœnam Domini ex consuetudine, sed ut per annum, quando volunt, accedant ad mensam Christi, ne sit hæc sacra sumptio alicui tempori alligata.

Quidam rudes & indocti clamāt contra tales ferias, id quod non est eis posthac permittendum. Sunt enim ordinatæ propterea, quod populo simul uno die non potest tradi Scriptura, ut ante dictum est.

Quemadmodum autem feriæ celebrentur absq; superstitione & praua contra fidem opinione, doctus & prudens Prędicator commodius indicare uulgo poterit, De festis simplicioribus uel minoribus, quæ non sunt festa historiæ Christi, ubi abolita sunt, nulla sit contentio, De cantu latino in festis, etiam supra dictum est, Potest enim cantari, ubi scholastici sunt, Latine Introitus, Gloria in excelsis, Haleluia, aliqua pura ex Scriptura Sequentia, Præfacio, Sanctus, Agnus Dei.

In Domi-

In Dominica autem die permittimus, ut quiſq; Paſtor ſuas habeat Chriſtianas cæremonias. Bonum tamen eſſet tunc homines ad cœnam Dominicam exhortari, ad quam nemo, niſi prius examinatus admittatur, ut etiam dictum eſt ſupra.

Nec multum moueat aut turbet uarietas Miſſarum, donec quantum poſſibile eſt, fiat uniformis ordinatio, quando ſub Papatu multo maior diſſimilitudo & inæqualitas eſt; etiam in Eccleſiis cathedralibus, ubi una hora ſæpe tantus ululatus eſt per tres uel quatuor diuerſas Miſſas ſimul cantatas, & tamen nemo eſt offenſus.

Ad ſepeliendum ſeruandus eſt ordo. Sacellanus & ædituus ſequantur mortuum, & pro concione admoneatur populus, ut ſequatur. Apud ſepulchrum canatur Media uita, germanice.

Audimus prēterea, quod quidam inepte concionantur de puerperis & ſex hebdomadis, quibus domi ſe con-

tinent

tinent mulieres poſt partū, unde quæ-
dam ante tempus commodum coacte
ad laborem inciderunt in perpetuum
morbum, & aliquæ ex hoc defunctæ
ſunt, Iudicamus igitur neceſſarium, ut
Paſtores ab his ineptis et periculoſis de-
ſiſtant. Sex enim hebdomadę tales or
dinatæ ſunt Leuit. xij. Et quanquam
abolita ſit Lex, non tamen abolita ſunt
quæ preter legem etiam a nobis ipſa
natura requirit, nempe naturalia &
moralia, & quæ ad ea pertinent. Ideo
& Paulus .i. Corinth. xi. atq; adeo ipſa
natura nos docet, quod leges, quas na-
tura docet, ſeruare debemus, propte-
rea & mulieribus tamdiu parcendum
eſt, donec ad naturales ſuas uires rede-
ant, id quod, uix minus ſex hebdoma-
dis fieri poteſt. Non eſt peccatū egre-
di ante hoc tempus, ſed eſt peccatum
corpori damnum curare, quemadmo-
dum neq; peccatum eſt uinum bibere,
tamen uinum febricitanti non eſt dan-
dum. Sic & hic expendenda eſt corpo-
ris neceſſitas & honeſtas ſeruanda, &
non eſt utendum Chriſtiana libertate
ad

ad damnũ corporis, aut ad inhonesta. Inhoneste enim abuti Christiana libertate perinde fuerit atq; si Princeps aliquis gregem porcorum ad suam mensam vocaret, non intelligunt porci hãc gloriam, sed vastant tantum quicquid appositum fuerit, et conspurcant ipsum etiam Principem, Sic quidam ubi audiunt de libertate, non sciunt, quæ sit hæc sancta libertas, & existimant nunc nullo pudore, nullis bonis moribus opus esse, per quod Deus uere blasphematur.

DE VERA AC CHRIstiana excommunicatione.

BOnum esset retinere pœnam ueræ & Christianæ excommunicatiõis, de qua Christus ait Matth. xviij. Ideo obnoxij publicis criminib. quotidianis ebrietatibus & similibus, nec a talibus deficere volentes, non sunt admittendi ad Sacramentum accipiendũ, Admonendi autẽ sunt tales aliquoties ante, ut se emendent, quod si nolunt,

postea

poſtea poſſunt exommunicati denun ciari. Nec uero contemnenda eſt hæc pœna, quia eſt maledictio mandata a Deo contra peccatores. Metuenda eſt igitur, non eſt enim fruſtranea, quemadmodum Paulus .i. Corinth. v. illum, qui ſuam nouercam ſibi ſociarat, tradidit Satanæ ad interitum carnis, ut ſaluus eſſet ſpiritus in die Domini. Sed ad prædicationem poſſunt ire excommunicati, quia ad eam etiam Iudęi & Gentiles admittuntur.

DE ORDINATIONE Superintendentis.

SVperintendens, qui ad hoc ex Paſtoribus unus ordinatus fuerit, attendat ſuper omnes alios Paſtores, qui ſunt in ea prefectura aut loco ipſi deſignato, ſiue habitent ſub Monaſterijs & Eccleſijs Cathedralibus, ſiue ſub nobilibus aut alijs. Et attendat curetq́; ut in prędictis parochijs recte & Chriſtiane doceatur, verbum Dei, & Sacra-

menta

menta pure & fideliter tradantur, ſe-
cundum Chriſti inſtitutionem, Vt Pa-
ſtores bene uiuant, unde uulgus emen
detur, nec ullum accipiat ſcandalum.
Neq; aliquid doceatur contra verbum
Dei & fidem, aut quod ſpectat ad ſe-
ditionem contra Magiſtratum. Vbi
uero aliquid horum a prędicatoribus
tentari cognouerit, illos ad ſe vocet &
admoneat, ne ſic pergant, inſtruatq; le-
niter eos, ut ſciant quid peccent, errent,
aut minus pluſue faciant, ſiue in doctri
na ſiue in moribus. Si quis non volu
erit deſiſtere, ſed maxime ad falſam do-
ctrinam & ſeditionem ſeſe accommo-
dare, debet Superintendens ſine mora
hoc indicare loci Præfecto. Is autem
ſtatim referre hoc ad Illuſtriſsimum
Principem noſtrū Electorem, ut poſ-
ſit eius Clementia huic morbo tempori
occurrere.

Hoc præterea uiſum eſt bonum,
ut obeunte uel alio migrante Paſtore,
Paſtor nouus per patronos, qui Ius
habent

habent pręſentandi, ſtatuatur ante Superintendentem. Is examinet eum, qui valeat & doctrina & uita, ut ſciat num populo bene poſſit prodeſſe, ut per gratiam Dei diligenter caueatur, ne indoctus aliquis aut ineptus ſuſcipiatur ad populi ſeductiōem. Quia experientia ſæpe his annis docuit, quid boni uel mali, ex bonis uel malis prędicatoribus ſperandum ſit. Vnde neceſſario moueamur ad intente inſpiciendum, ad pręueniendum malum ex gratia Dei, ne nomen Dei & uerbum in nobis blaſphemetur, de quo Paulus in pluribus locis admonet.

DE SCHOLIS.

DEbent etiam Prædicatores admonere populum, ut ſuos pueros Scholis adhibeant, ut educentur uiri, qui docere, & Eccleſijs ac politijs prodeſſe poſſint. Putant .n. aliqui ſatis eſſe predicatori, ſi ſciat germanice legere. Hæc eſt periculoſa opinio. Qui enim docturus eſt alios, neceſſe eſt, ut

habeat

hàbeat magnam exercitationem & ingenium instructum. Hæc ut habeat aliquis, requiritur longa & ab ineunte ætate disciplina. Paulus enim ait .i. Timoth. iij. Episcopum oportere esse didacticum, quo indicat eos eruditores esse oportere quam uulgus. Laudat etiam Timotheum .i. Timoth. iiij. q̃d a puero sacras litteras coluerit, eruditus uerbis fidei & sanæ doctrinæ. Non .n. exigua scientia, imo impossibilis est, ut homines indocti clare & intelligenter doceant atq; erudiant alios. Eruditis autem opus est non solum propter Ecclesias, sed etiam propter politiam, quã etiam Deus uult bene gubernari.

Debent ergo parentes propter Deum filios adhibere Scholis, ut parentur Deo, ita ut postea Deus eis uti possit ad seruiendum alijs.

Ante hæc tempora currebatur ad Scholas propter uentrem, & maxima pars ad hoc didicit, ut posset accipere pinguem prębendam, quam vocant,

qua accepta nutriuit ſe abominabili Miſſatione. Quare nunc ad honorem Dei propter ipſius mandatum non diſcimus? Sine dubio enim & ventrem nutriret Deus, Matth. vi. Primum, inquit, quærite regnum Dei & iuſticiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

Deus in lege Moſis curauit per decimas pro Leuitis. In Euangelio non eſt mandatum, ut presbyteris dentur Decimæ, tamen mandatum eſt eis dare uictum. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo, ait Chriſtus Matthei et Lucæ decimo.

Ideo licet mundus contemnit Dei præceptum, & Presbyiteris quæ debet non dat, tamen Deus non obliuiſcetur presbyterorum, qui recte docent, ſed enutriet eos, quia uictum eis promiſit.

Quam abunde etiam Deus pro alijs artibus curet, uidemus quotidie, Sic enim ſcribit Syrach cap. xxxviij. A Deo eſt omnis medicina, & accipiet a Regibus munera.

Quando

Quando vero plures ſunt abuſus in Scholis puerorum, ut iuuentus recte inſtituatur, hanc formam præſcripſimus.

Primum, Ludimagiſtri diligenter curent, ut doceant pueros latinæ ſolū, non Germanice, aut Græce, aut Hebraice, ut quidam hactenus, qui grauarunt miſeram iuuentutem hac uarietate, quæ non ſolum inutilis eſt, ſed etiam nociua, uidemus etiam tales Ludimagiſtros non curare puerorū commodum, ſed ſuam famam, quam aucupantur iſta liguarum uarietate.

Secundo, Non grauent pueros multis libris, ſed ut licet uitent iſtam multiplicitatem.

Tertio, Neceſſarium eſt, ut pueri diſtribuantur in Claſſes.

PRIMA CLASSIS.

AD primam Claſſem pertinent pueri, qui diſcunt legere. Cum eis ſic agetur. Diſcant primū legere ex

Alphabetario libello, in quo ſint ſcri‑
pta, Aphabetum, Pater noſter, Credo, & verba inſtitutionis de Baptiſmo & Sacramento.

Poſt legant Donatum, & ſimul diſcant exponere Catonem. Ita, ut Ludimagiſter eis exponat unum atq; alterum Catonis uerſum, quem recitent pueri aliqua alia hora, ut per hoc multa diſcant latina vocabula, & ſupellectilem ſibi congregent ad latine loquendum. Per hæc exerceantur, donec bene legere ſciant. Nec incommodum uidetur pro pueris, qui parum ingeniosi non ſtatim multa diſcere poſſunt, ut hi Donatũ & Catonem bis ita diſcant. Cum hoc interim urgendi ſunt omnes in hac claſſe, ut diſcant ſcribere, & ſcripta quotidie Ludimagiſtro offerre.

Vt uero multa etiam diſcant latina vocabula, q̄tidie ad veſperam dentur eis aliqua vocabula, ut hactenus fuit cōſuetum. Hi pueri etiam diſcant cum alijs cantare, ut infra dicemus.

Altera

ALTERA CLASSIS.

IN altera Classe sunt pueri, qui legere norunt, hi debent nunc discere Grammaticam, hoc ordine.

Proxima hora post prandium exerceantur omnes scholastici in Musica, & maximi & minimi.

Postea Ludimagister interpretetur secundæ huic Classi primum fabulas Esopi. Post vesperas exponat eis Pædologiam Mosellani. Postquam hos libellos didicerunt, seligantur pro eis ex Colloquijs Erasmi, quæ utiliora & honestiora sunt.

Ista licet ab eis repetere sequentis diei vespera.

Vbi sub vesperam domum regrediuntur, detur eis aliqua sententia cum expositione germanica, ex aliquo Poeta, uel alijs, quam altero mane reddant, ut est hæc sententia. Amicus certus, in

re incerta cernitur, aut hæc. Fortuna quem nimium fouet, ſtultum facit. Item ex Ouidio, Vulgus amicicias utilitate probat &c.

Mane pueri exponendo reddant, quod ex Eſopo acceperunt. Hic Præceptor declinet quædam nomina & verba, ut uiderit expedire pueris multa uel pauciora, facilia uel difficilia, & interroget rationem declinationis ex regulis grammaticis.

Vbi didicerunt regulas conſtructionum, exigatur ab eis hac hora, ut conſtruant orationem, Id quod valde prodeſt eis, licet rari ſint Ludimagiſtri, qui hoc curent.

Hoc igitur modo ubi didicerunt Eſopum, proponatur eis Terentius, quem & mentetenus ſine libro diſcant recitare, creuerunt enim ſtudio & iam plus ferre poſſunt laboris, Attendat tamen Ludimagiſter, ne pueri grauentur. Poſt Terentium proponantur his

aliquot

aliquot puriores Comędiæ Plauti, ut est Aulularia, Trinummus, Pseudolus & similes.

Hora quæ est ante prandium sic perpetuo exerceatur, ne quid doceatur aliud, quam Grammatica, Primum Etymologia, inde Syntaxis, post Prosodia. His finitis, rursum eadem incipiantur, ut Grammatica eis diligentissime inculcetur. Si enim hoc non fit, frustraneus est hic omnis labor. Pueri præterea regulas Grammaticæ discant sine libro recitare, ut cogantur Grammaticam exacte discere.

Si Ludimagistrum tedet huius laboris ut fit, relinquatur & pueris alius quæratur, qui hunc laborem curet pro Grammatica pueris inculcanda. Nullum enim maius damnum potest accidere omnibus artibus, quam si iuuentus in Grammatica non egregie exerceatur.

Hæc ita seruentur per totam hebdomadam, nec pueris quotidie noui libri proponantur.

Aliquo autem die, ut Sabbato, uel feria quarta, doceantur Catechismum cum expositione, ut erudiantur ad timorem Dei & Christi fidem.

Nam quidam plane nihil docent pueros ex sacra Scriptura, alij nihil aliud, quam sacram scripturam, uterqꝫ error non est sustinendus. Necessarium enim est, ut pueros doceant quædam inicia Christianæ & piæ uitæ. Et simul sunt multæ causæ, quare oporteat quoqꝫ eis alios proponere libros, vnde loqui discant.

Sic itaqꝫ obseruabitur. Examinet Ludimagister totam Classem, aut etiam Scholam, ut recitent uicissim alius post alium, orationem Dominicam, Credo, & decem præcepta. Et si numerus discipulorum fuerit nimius, possunt quidam hac hebdomada, alij sequente

quente

quente examinari. Poſtea alio tempo-
re Ludimagiſter orationem Domini-
cam ſimplicicer & planiſſime interpre-
tetur. Alio tempore fidem, & alio de-
cem præcepta, & inculcet pueris ea,
quæ neceſſaria ſunt ad piam uitam &
honeſtam, ut Dei timorem, fidem, bo-
na opera, contentioſa uero omittat,
nec doceat pueros maledicere Mona-
chis aut alijs, ut quidam inepti Ludi-
magiſtri faciunt.

Cum hoc proponat etiam pueris
quoſdam faciliores intellectu Pſalmos
quos uel mente tenus recitare diſcant,
in quibus cõprehenſa ſit ſumma Chri-
ſtianæ uitæ, ut ſunt, qui agunt de timo-
re Dei, de fide, & de bonis operibus, ut
Pſalmus cxij. Beatus uir &c. xxxiiij.
Benedicam &c. cxxviij. Beati omnes
qui ti. &c. cxxv. Qui confidunt &c.
cxxvij. Niſi Dominus ędificauerit etc.
cxxxiij. Ecce quam bonum &c. & ſi-
miles Pſalmi aperti et faciles, quos Lu-
dimagiſter breuibus & aperte interpre
tetur, ut ſciant pueri, quid inde diſcant
aut requirant.

Hoc die etiam Matthæus, ſed Grammatice tantum exponendus eſt, qui finitus, repetatur a principio. Tamen ubi profecerunt pueri, poſſunt eis exponi duæ Epiſtolæ ad Timotheum, aut prima Ioannis, aut prouerbia Salomonis.

Pręter hos libros nullum ſuſcipiant Ludimagiſtri ex ſacris enarrandũ. Non enim eſt utile iuuentutem grauare difficilibus & arduis libris, quemadmodum quidam propter ſuam gloriam eis pręlegunt Eſaiam. Paulum ad Romanos, Ioannem Euangeliſtam &c.

TERTIA CLASSIS.

VBI ſatis exercitati ſunt pueri in Grammatica, poſſunt ſeligi aptiores in tertiam claſſem.

Proxima hora poſt prandium, hi cum alijs exerceantur in Muſica. Poſtea exponatur eis Virgilius. Poſt finitum Virgilium, poteſt eis proponi

Meta-

62

Metamorphosis Ouidij, ad uesperam Officia Ciceronis, uel eiusdem Epistolæ familiares.

Mane repetatur Virgilius, & exigantur ab eis Constructiones ad exercitium Grammatices cum declinationibus, & indicentur eis speciales figuræ sermonis.

Hora ante meridiem maneat ipsa Grammaticę, ut in ipsa bene sint exercitati. Et cum bene nouerint Etymologiam & Syntaxin, ad Metricam instituantur, ut discant uersus facere. Hæc enim exercitatio utilis ualde est, ad intelligendum alias scripturas, efficitq; pueros diuites verborum et aptos ad quædam alia.

Postea satis in Grammatica exercitatis proponatur Dialectica & Rhetorica hac hora.


Pueri ex secunda Classe offerant singulis hebdomadis scripta sua, uel versus.

Curetur

Curetur etiam, ut pueri loquantur latine. Et ipsi Ludimagistri nihil aliud, quantum licet prę expositionibus, loquantur cum pueris, quam latinum sermonem, quo ad hoc exercitium assuefiant & prouocentur.

Impressum Vitebergæ, apud Iosephum Clug.

M. D. XXXIX.



70/A2 i